M. ANTONII Maioragij Reprehensionum libri duo, cõtra Marium Nizolium Brixellensem:

In quibus multa & uaria disputantur, quæ cùm magnam in legendo iucunditatem, tum non mediocrem utilitatem afferre possunt.

HVC ACCESSIT RECVSATIO OMnium eorum, quæ *Nizolius in Decisionibus eiusdem M. Antonij Maioragij, tanquam malè posita, notauit.*

Capita rerum, quæ toto hoc Opere tractantur, statim post Præfationem reperies.

MEDIOLANI.

1549.

MAGNIFICO ET ILLVSTRI IVRECONsulto, Ferdinando Adduensi, Patricio Mediolanensi, M. Antonius Maioragius S. P. D.

ALEXANDER ille Magnus, ut memoriæ proditum est, in amicorum familiari collocutione frequenter affirmare solebat, se magis Aristoteli præceptori, quàm patri Philippo debere: propterea quòd hic tantū ut esset, effecisset; ille uerò ut bene esset. Hunc tu Ferdinande suauissime, tam præstantis & inuicti animi Regem imitatus, non aliter atq; parentem, me quondam præceptorem tuum, ita obseruas, ut longe maiorem dignitatis meæ curam, quàm tuæ ipsius salutis habere uidearis. Vidi equidem sæpius te quodam incredibili exultare gaudio, cum ab aliquo laudari me uehementer audires. uidi etiam te maiorem in modum ægrè ferre, si quenquam aliquo modo de fama mea detrahere intelligeres. Sed nihil unquam te grauius tulisse animaduerti, quàm cum illam Nizolij tam contumeliosam in me Antapologiam legisti: quam statim exclamasti, non calamo, sed rabie, non atramento, sed ueneno, non in membrana, sed in atra bili conscriptā ab eo fuisse. Ac mihi quidem cum gratissima sit, atq; optatissima tua ista tam incredibilis in me obseruantia: quamuis Nizolij conuicijs, præsertim falsis, & ab inimico animo profectis, nihil omnino commotus fuerim: tamen uisum est, quamprimum à me fieri potuit, illi respondere: cùm ut dolorem tuum, quem ex ea re cepisti, minuerem: tum etiam, ut honorem meum ab eius calumnijs liberarem. Sed ita tamen respondere uolui, non ut eius in maledicendo procacitatem & importunitatem imitarer, sed ut uerecundiæ modestiæq; meæ meminissem: neq; ut conuicijs, quemadmodum ille, rusticorū more cum eo certarem, sed (ut literatum decet) uerissimis rationibus & argumētis eius mendacia refutarem. Et quo magis etiam religionem meam admireris, quæcunq; in illum mihi dicenda fuerunt, omnia Ciceronis auctoritate, cuius ille se patronum fingit, confirmare uolui: neq; usquam à Cicero-

nis sententia discessi. quod mihi sanè, cum in multis alijs rebus exultare posset oratio mea, & ad dicendi copiam inutile, & ad probandi rationem perquam difficile fuit. Sed quoniam ille me nimis insolenter ac sine ratione Ciceromastigem appellarat, ostendere uolui, longè diligentius opera ciceronis à me lecta fuisse, quàm ab eo, qui magnum illud ex Ciceronis operibus Obseruationum uolumen suo nomine iampridem emiserit. Accipe igitur, mi Ferdinande, doloris eius quem ex Nizolij maledictis in me concepisti, remedia atq; solatia, duos Reprehensionum libros, iocis potius & urbanitate, quàm indignis homine libero conuicijs refertos: in quibus multa & magna uidebis, in Nizolij scriptis diligenter & uerè à me reprehensa, & accuratè, non quidem illa philosophorum subtilitate, sed hac oratoria nostra facultate disputata. quæ cùm studiosis omnibus, ac bonarum literarum amatoribus spero fore gratissima: tum in primis tibi, qui nostris rebus adeò delectaris, ut quæcunque à me proficiscũtur, diuinis propè laudibus ad cœlum efferas: & qui liberalium artium adeò studiosus es, ut in ista tam iuuenili ætate longè natu maioribus antecellas. Quis enim orationem illam tuam, quam de Iure ciuili tam eruditè, tamq; ornatè cõscripsisti, legens, non uehementer & uerborum splendorem, & sententiarum grauitatem, & abditarum rerum scientiam admiretur? quis carminum tuorum & acumen, & elegantiam non suspicit? At uerò isti tam raræ doctrinæ tuæ tanta comitas atq; affabilitas sermonis adiuncta est, ut omnium tibi hominũ uoluntates facilè deuincias, & ad te amandum quodammodo uel inuitos attrahas. Quid de summa liberalitate, uel potius magnificentia tua dicam, quam cùm magnam in omni uitæ tuæ ratione, tum certè summam in Patauino Gymnasio duobus annis superioribus ostendisti? cum summo totius Gymnasij consensu, atq; uno omnium ore, Rector studentium iuuenum ac princeps creatus fuisses, quis non istum animum tuum tam magnificum, tam splendidum, tam penè dixerim regium obstupuit? quis non in regendis tot nobilissimorum iuuenum animis, summam suspexit in iuuenili ætate prudentiã? Sed quid hæc commemoro, quæ in dies in te fiunt & maiora & illustriora? Veniet, ueniet

niet aliquando tempus illud, & illucescet illa dies, cum tu Reipub. nostræ gubernacula tenens, ciuitatem hanc uirtutum tuarum magnitudine felicem ac beatam efficies. Interim perge quo cœpisti pede, summo labore atq; industria te tuamq; familiam iampridem illustrem, etiam illustriorem reddere. Nos uero, quemadmodum hactenus fecisti, perge amare & obseruare: atq; hos in Nizoliũ libellos, quos ideo sub tuo nomine apparere uolumus, quia tibi iucundissimos fore non ignoramus: toto (quod aiunt) corpore, atq; omnibus unguiculis, tanquam clientes tuos tibi tuendos ac defendendos existima. Vale.

Quæ de Enthymemate rhetorico sunt à nobis Secundo libro septem capitibus disputata, ea quoniam & noua sunt, & utilissima, uelim attentiore animo perlegas. Cætera quæ faciliora sunt, & ideo fortasse iucundiora, tuo arbitrio percurras licet. Iterum uale.

CAPITA RERVM, QVAE IN
Primo libro probantur.

1 Nizolium in Antapologia sua, rationum & argumentorum inopia, ad conuicia atque mendacia confugisse.
2 Inimicitiarũ auctorem fuisse Nizolium: meque non mea sponte, sed calumnijs eius coactum, ad scribendum uenisse.
3 Apertissimè Nizolium mentiri, qui dicat omnia mea scripta maledictorum esse plena.
4 In Antiparadoxis me non ex meo sensu locutum fuisse, sed ex eorum opinione, qui ibi colloquuntur: atque ibidem me iniquissimè Ciceromastigem à Nizolio uocari.
5 Consuetudinem esse Philosophorum & oratorum, ut uel per alienas personas, uel per suas aliqua uituperent, & eadẽ etiam postea laudent: quod imperitè in me Nizolius reprehendit.
6 Planè decipi Nizolium, qui dicat Aristotelẽ non ut philosophũ, sed ut perfectũ oratorẽ, à Cicerone differẽdi principẽ appellari.
7 Nulla ratione probatũ à Nizolio, quod proposuerat: oratores in differendi ratione dialecticis & philosophis esse longè superiores: quod apertè falsum esse ostenditur.
8 Dialecticam esse oratori necessariam. quod nimis inscitè Nizolius negat. Atque ibidẽ Ciceronis locus illustratus ex III. de Oratore, quem Nizolius pessimè interpretatus fuerat.
9 Nugari Nizolium, qui dialecticam dicat ideo non esse differendi artem, quia disertos homines non efficiat.
10 Veram dialecticam non à bonis auctoribus uituperari, sed potius uehementer laudari: contrà, quàm sentit Nizolius.
11 Hoc nostro tempore ueram illam antiquorum dialecticam inueniri, quod insolentissimè Nizolius inficiatur.
12 Philosophiam Academicam & Peripateticam adhuc integram atque perfectam extare, contra Nizolij sententiam.
13 Quæ sub Aristotelis nomine leguntur opera, pleraque sine dubitatione Aristotelis esse: quod inscitè Nizolius negat.
14 Non satis probatum à Nizolio, paradoxa Stoicorum esse Socratica: atque ibidem sibi ipsum bis contradicere.
15 Socratem non inconstantem fuisse, ut eum fingit Nizolius, sed in eadem semper mente atque sententia constitisse, licet contra aliorum opiniones in contrarias partes disputaret.

CAPITA RERVM, QVAE
in Secundo libro probantur.

1 Nizolium & imprudentis & maleuoli hominis officio functum, in suscipiendis contra me inimiciciis.

2 Ex tribus in Ciceronem collatis criminibus, unum tantum, quod erat omnium leuissimum, à Nizolio sumptum ad defendendum, neque tamen defensum.

3 Nizolium omnino ignorare quid enthymema sit, aut quot modis dicatur: atque ibi distincta enthymematis significata.

4 Imperfectionem enthymematum non ad materiã probabilem, sed ad formã syllogisticã referri: contrà, quàm sentiat Nizolius.

5 Enthymema habere omnino eandem materiam quam syllogismus, & nunquam ex tribus enunciatis eodem modo fieri, quo perfectus syllogismus: contra Nizolij sententiam.

6 Conclusionẽ argumentationis sæpius ab oratorib. in principio, quàm in fine poni: quod imperitè Nizolius fieri nunquam ait.

7 Quod ait Nizolius, in enthymematibus rhetoricis conclusionem ferè semper desiderari, falsum esse omnino: cum nunquam ipsa conclusio desideretur, sed tantum altera præmissarum (ut uocant) & sæpius maior, quàm minor.

8 Nizolium, cum de enthymemate loqueretur, sibi ipsum contradixisse, & in duos insignes errores incidisse.

9 Non tantum absurdè, sed etiam perperam dictum à Nizolio, materiam enthymematum probabiliter concludere.

10 Quas reprehendit Nizolius in Antiparadoxis nostris uoces, & locutiones tanquam non latinas, rectè à nobis esse positas.

11 Nizolium non tantùm non latinè, sed ne grammaticè quidem loquendi rationem nosse, & penitus barbarum esse scriptorem.

12 Iudicium Nizolij de latinis scriptoribus penitus esse falsum, & minimè sequendum.

13 In disputando potiùs rationum momẽta, quàm ipsa uerba spectari solere.

14 Ridiculè Nizoliũ fecisse, qui suarũ Obseruationum errata prius defendere conatus est, quàm sciat quid in eis ego reprehẽsurus sim.

15 Platonem nusquam à Cicerone uituperari, meque non sine auctore dixisse, Trinitatem, quam uocant Theologi, in Platonis Dialogis inueniri.

16 Non potuisse Nizolium de ingenio & doctrina mea rectè iudicare, cum ipse recto iudicio careat.

M. ANTONIVS MAIORAGIVS Sebastiano Corrado S. P. D.

TErnas tu quidem ad me literas te dedisse scribis, sed ego tantũ ultimas accepi: in quibus humaniter sanè, atq; etiam (ut opinor) amicè rogas, ut quam cum Mario Nizolio suscepi litem, uel potius quam ille mecum, is enim me prius temerè atq; iniuriose lacessiuit, tibi condonem, atq; illi parcam. Verùm, mi Corrade, non satis aduertisse uideris, quousq; nostra contentio processerit, & quàm ab eo grauiter læsus fuerim. Quis enim Antapologiam eius contra me, legens, me ad taciturnitatem inuitet, nisi qui magis eius bonori, quàm meo faueat? Ego quidem certè si saluo honore meo fieri posset, uoluntati tuæ libentißimè satisfacerem, & Nizolio parcerem: sed hoc mihi iam non est integrum. est enim in manibus egregia illa Nizolij Antapologia, in qua plura sunt penè conuicia, quàm uerba. Legitur & à doctis, & ab indoctis. Itaq; licet multi sint eruditi, qui eius ineptias rideant, & maledicta uituperent: nolo tamen hanc tantam in meo nomine maculam inueterare. Vnum illud tibi polliceor, me nõ eius exemplo charta (quod aiunt) dentata rem acturum; neq; conuicijs homine ingenuo minimè dignis usurũ: sed pro ipsa tantum ueritate pugnaturum. neq; enim aliquod ego unum uocabulum non ita Ciceronianè dictum insectabor, quod ille pueriliter in me cum omni contumelia facit: sed totas eius paginas ita discutiam, ut omnes admirentur, in eo tam incredibilem fuisse imprudentiam: qui modò secum ipse pugnet, modò fallaciter concludat, modò sensa auctorum perperam interpretetur, modò imperitè distinguat, modò omnia confundat. Quin etiam plures locos ostendam, ubi impudenter fingat, & turpißimè mentiatur. Et tu si uerus amicus es, uis mihi auctor esse, ut hæc contra me, uel potius contra ueritatem scripta taceam? Agè mitto meas priuatas iniurias, quas obliuisci libenter soleo. Potero'ne pati publicam tot præstantium uirorum, qui dialecticam & philosophiã hodie profitentur, ignominiã, quos scriptis suis Nizolius indignè lacerauit? cum dicat eos nihil penitus, quod aut utile sit, aut honestũ, in scholis suis docere, sed garrulos, ineptos, & loquaces esse: neque ueram hoc tempore dialecticam & philosophiam inueniri, sed ineptam tantum & garrulam disciplinam. Imò uerò cominus congressus, eum apertè desipere, delirare, furere demonstrabo. Quod cum fecero, tunc si uolet, pacem petat, aut respondeat: nihil enim recusabo. Interea taceat, neq; conciliatores & arbitros honorarios quærat, sed expectet publicum ignorantiæ suæ præconium. Te uerò, mi Corrade, ita me Deus bene amet, propter summum ingenium, & eruditionem tuam, uehementer amo. Verùm illud à te contendo, ne huic nostræ contentioni te immisceas, priusquam omnes eius à me calumnias refutatas esse intellexeris. Vale. Mediolano, xij. Calend. April. M. D. XLVIII.

M. ANTONII MAIORAGII

REPREHENSIONVM LIBER PRIMVS, contra Marium Nizolium Brixellensem.

Nizolium in Antapologia ſua, rationum & argumentorũ inopia, ad cõuicia atq; mendacia confugiſſe. Caput I.

EGO uerò mi Nizoli, prudẽtiſsime modeſtiſsimeq; uetule, non mediocri cumulor gaudio, tibiq; etiam non uulgares eo nomine gratias ago, propterea quòd in eo quod in me proximè publicaſti, conuicijs tantum ac mendacijs referto uolumine, teſtimonio tuo ueriſsimum illud eſſe declaraſti, quod ego iã à plurimis (ut in Apologia mea ſcripſi) de te audiueram: te & natura maledicum eſſe, & iampridem etiam in iſto maledicendi ſtudio conſenuiſſe. Verebar enim ſane, & maiorem in modum pertimeſcebam, ne ſi naturam & ingeniũ tuum occultaſſes, mihiq; contra conſuetudinem tuam modeſtè reſpõdiſſes, bonũ ego uirum, qui nõ procacitatis uitio, ſed ueritatis gratia, cõtra me primò ſcripſiſſet, reſpondendo uiderer offendiſſe. Verùm ideo me hac cura timoreq; liberaſti, quòd uſq; eò ſeſe extulit atq; efferbuit naturæ & uoluntatis tuæ uitium, ut nullo modo id occultum habere potueris. Quicquid enim erat in te odij, quicquid ueneni, id totum ad linguam & ad dentes, tanquam uipera quędam reuocaſti: eoq; atramenti loco uſus, omnia quę per omne uitæ tuæ tempus, quo huic uni rei te ſtuduiſſe oſtendis, ex omni ſcriptorum colluuione colligere potuiſti, maledicta, unum in librũ contra me congeſsiſti. Itaq; ſecuri ſint licet poſthac omnes aduerſarij tui, ludant ſcri

ptis ac iocentur tecum ſine ullo procacitatis tuę timore, te ſecurè laceſſant, tibi denique barbam etiam tutò uellant: quia totum in me uirus tuum effudiſti. nihil enim, ut perſpicuum eſt, tibi reliquum feciſti: in quo uel magis hoſtiliter in quenquam mentiri, uel impudētius fingere, uel atrocius debacchari poſthac unquam ualeas. necꝙ quiſquā exiſtimare poteſt, in alicuius hominis mala mente, maloꝙ animo, maiorem obtrectandi libidinem, atrociores contumelias, furioſiorem deniꝙ dicacitatem uerſari, quàm in præclara illa ſcilicet, religioſaꝙ (ut tu uis) Antapologia tua, non manu, ſed toto (quod aiunt) thylaco ſeminaſti. Sed nihil me fefellit improbitas tua. ſciebā nulla alia de cauſa maledicentiſsimis à te ſcriptis me fuiſſe prouocatum, cum ego antea nulla in re te læſiſſem unquā, ſed potius à te grauiter læſus fuiſſem: niſi ut haberes, quem inſectari petulantiſsimè, & in quem ſæuiſsimam oris tui mephitim exhalare poſſes. Quę cum ego cōuicia tua iam multo antè tanquam è ſpecula quadam, in me uentura proſpexiſſem: talibus me antidotis pręmunitueram, ut teterrimus quidem uerborū tuorum odor me circumſteterit, ſed nihil omnino tamen offendere potuerit. Quare ſi quam in ſpem fortè ueneras, poſſe te aliquid iſta tua tam perdita ſcribēdi ratione contra me proficere, eam omnem iam deponas licet. Bene enim habet, quod tu ipſe mihi per ſummā imprudentiam tuam, præclara defenſionis meæ fundamēta ieciſti. Non enim uereor, quin & æqui & iniqui omnes, quicunꝙ tuam illam tam rabidam & importunam Antapologiam, ſolis mendacijs & conuicijs undiꝙ ſcatentem, legerint, ſtatim iudicent, te cauſæ tuæ diffidentem, & rationibus meis uictum, cum non haberes quò te uerteres, tandem ad maledicta tāquam ad ſacram an

choram confugiſſe. Quis enim, cum aduerſarium argumentis & rationibus euertere poteſt, mauult ad conuicia deſcendere? nemo certè ſanæ mentis. At tu, cum & natura, & uoluntate me à maledictis abhorrere intelligeres: partem hanc, utpote tibi ſecuriorem ad uincendum, quoniã in ea plurimum te ualere ſentis, arripuiſti, meq; nõ argumentis (ut literatum hominem decet) cominus congreſſus, inuaſiſti: ſed non aliter atq; degener aliquis Moloſſus, ſub aluum cauda reflexa, uehementerq; pauitans, eminus allatraſti: & quod non tantum à literati hominis conſuetudine, ſed etiam ab omni prorſus humanitate alienũ eſt, tota mendaciorum plauſtra, quod res ipſa declarabit, in me nefariè confinxiſti. Tu uide quàm bene non modò iſti ætati, ſed omnino homini conueniat, non ſolum ei qui tibi amicus erat, improbiſſimè maledicere, ſed etiam in eum impudentiſsimè mẽtiri. Ego certè pro ingenio atq; conſuetudine mea, ueritate ipſa, rerum omnium potentiſsima, fretus, & nugas tuas omnes refellere, & conuicijs parcere conſtitui.

Inimicitiarum auctorem fuiße Nizolium: meq; non mea ſponte, ſed calumnijs eius coactum, ad ſcribendũ ueniſſe. Caput II.

PRincipio orationis hoc oppono, quoniam tu liuidã atq; uipeream maliciam tuã cum meo facto comparas, me ſemper tecum uiri ingenui atq; conſtantis officio functum: te uerò, quemadmodum oſtendam, perfidioſi obtrectatoris ac leuiſsimi hominis. Vt enim rem ab initio repetam, & omnes intelligant, quàm doloſe mecum ſemper egeris: exponam breuiter originem & amicitiarum et inimicitiarum noſtrarum. Septem (ut opinor) abhinc annos, cum inſtabili ſede, atq; incerto domicilio, conditionem quærens, huc illuc uagareris, Me-

 diolanum

diolanum uenisti: quo ego tempore, cum uix sextum ac uigesimum annum attigissem, artem oratoriam publicè docere cœperã. Hîc ego te primò de facie quidem, sed non intus (quod aiunt) & in cute cognoui: cum ipse tua sponte me domum meam non amico, sed, ut postea re ipsa declarasti, maximè fraudulẽto animo salutatum ueniſſes. Itaq; ductus ego quadam opinione atq; admiratione tui, quoniam Obseruationes illas sub tuo nomine editas, quas nondum ego uideram, maiorem in modũ extollebas atq; iactabas: te multũ obseruare cœpi, atq; etiam uolumen illud Obseruationum & habendum mihi in bibliotheca, & legendum esse censui. Quin postea semper, quamuis inter legendum intelligerem, te in eis consarcinandis neq; artem neq; iudicium ullũ adhibuisse, & (quod peius est) multis etiã in locis cùm falsa, tum absurda atq; ridicula miscuisse uiderem: laudabam tamen studium tuũ, quod licet ingenio perquàm exiguo, uel potius nullo, te præditum ostenderes, tamen quantum facultas tua ferebat, seruire communi utilitati studères. Atq; hæc eo tempore de te ideo prædicabam, quia totũ eum laborẽ fuisse tuũ existimabam. nondum enim audierã, quod à multis postea doctiſsimis uiris audiui, eas Obseruationes non tuas, sed Christophori Longolij, summi uiri, fuisse: qui non ut eas ederet, sed ut Ciceronis, cuius erat studiosiſsimus, locos ad manum haberet, in usum priuatum ac proprium suum congesserat: te uerò post eius mortem, cum in eas incidisses, opere quasi tumultuario congestas, nonnullis additis, immutatis, pluribus perperam (ut alio in loco dicam) interpretatis, omnes tandem pro tuis edidisse. Cum hoc inquam, nõdũ audiuissem, licet ingenium in te perexiguum esse uiderem: tamen studium tuum aliqua laude dignum esse

censebam.

censebã. Hac me semper mẽte fuisse, testes sunt omnes, quicunq; mecũ unquam de te locuti sunt: sed in primis duo uiri, mihi sũma necessitudine coniuncti, BARTHOLOMAEVS RICCIVS, cui plurimum nostri temporis bonę literę debẽt, & VINCENTIVS MAGIVS, omni uirtutũ genere cumulatus philosophus. hi facilè testari possunt, quàm honorificos de te sermones apud eos, & quàm frequentes habuerim. Imò uerò quãuis ab initio nostræ amicitiæ grauiter à te læsus fuissem, nemo tamen unquam ex me uerbum ullum de te, nisi honorificum audiuit: donec tandem à te contumeliosis scriptis prouocatus, ut honorem meum tuerer, tibi respondere coactus sum. At tu interea uir probe quid facis? quomodo coniunctæ mecum amicitiæ iura conseruas? Dic, dic facta tua, quibus nihil humanius, nihil amicius esse uis. Meministi'ne, triduo, aut ad summũ quatriduo post initam mecum ~~amicitiam, nefarij proditoris more~~, conatum esse mihi publicè legendi prouinciam eripere? magnoq; cum dedecore tuo repulsam à senatu nostro tulisse? cum omnes uno ore Senatores affirmassent, longè melius huic prouinciæ, me adhuc adolescentem, ac planè imberbem, quàm te ueteranum atq; senem satisfacere posse? Aude hoc negare, quod testimonio multorũ clarissimorum hominum, qui uiuunt adhuc, probare facile possum. nam eo tempore mihi statim hoc, uir grauissimus & sanctissimus, IACOBVS CATANEVS, totius Senatus Mediolanensis consiliarius, & nostri gymnasij princeps ac moderator narrauit: in quo uiro pręter summam eruditionem, etiam summa probitas atq; religio est. Atq; hanc iniuriam cum à te tam grauẽ accepissem, tamen neq; tecum unquam, neq; cum alio questus sum: satis enim te graues perfidiæ tuæ pœnas dedisse

 putabam,

putabã, cum tam turpiter ab omnibus repulſus fuiſſes. Quid? poſtquam Deciſiones meas in Calcagninũ uidiſti, meminiſti'ne te ſumma commotum inuidia, quòd te ſolum Ciceronis obſeruatorem, te ſolum latinè loqui ſcire putabas, in me caninam (quod aiunt) exercere facundiam cœpiſſe? Profer quæſo, ſi potes, quo peccato, aut quo merito meo, tam acriter, tam'que iniquè de fama mea detrahere cœperis? Quid editis in lucem Antiparadoxis, in quibus exemplo doctiſsimorum & clariſſimorum hominum, qui hoc genere ſcribendi ſeſe frequenter exercuerunt, me luſiſſe declarat epiſtola, quam eis præpoſui, quæ etiam ipſa iocorum plena eſt, quãtopere in me debacchatus es? cui nõ animum tuum in me hoſtilem patefeciſti? quis te peſtiferum in me uirus euomentem non audiuit? Vos uos appello, uiri eruditiſſimi, quos ego pro ſingularibus atq; eximijs uirtutibus ueſtris maximè ueneror, atque ſuſpicio, PAVLE MANVTI, teq; OCTAVIANE SCOTE. Vos non ſine tædio (quæ ueſtra humanitas eſt) frequentes in me Nizolij latratus audiuiſtis. Vos uolumen illud ueneni plenum uidiſtis, ac legiſtis, quod ad me, more ſcilicet amicorum ac proborum hominum, non furentium inimicorum, prius miſit. uos teſtes eſtis, quibus me conuicijs, quo maledicendi genere, qua linguæ procacitate, qua denique petulantia inſectetur. Quid hic faciat uir ingenuus & fortis? an quod tu ſemper feciſti, per ſummam ignauiam atro dente clanculum te remordeat? an apud hunc et illum, exemplo tuo, tibi detrahat? minimè uerò: non eſt hæc ingenui conſtantisq; uiri conſuetudo. quin potius (ut ego feci) tecum apertè congrediatur, publicè te mentientem oſtendat, tuam omnibus improbitatem patefaciat, famã & exiſtimationem ſuam à conſceleratis

calumnijs

calũnijs tuis tueatur ac defendat: te deniq; tãquam Hercules hydram contundat, ne atrum illud linguæ tuæ uenenum amplius in quenquam euomere posſis. Iudicẽt ergo boni uiri, utrum tu perfidior in amicitia uiolanda, an ego liberalior in ea, quoad potui, conſeruanda: utrũ tu leuior in maledicendo, an ego fortior in refellendo.

Apertisſimè Nizolium mentiri, qui dicat omnia mea ſcripta maledictorum eſſe plena. Caput III.

QVòd autem maledictionum tuarum excuſationẽ aliquam quæris, dum eodem me crimine condemnas, certè facis, ut in hac re tibi propter impudentiam tuam minus iraſcar. quippe qui tam apertè, tamq; maleuolè mentiaris, ut te omnes eruditi ridere meritò posſint. Ais enim, omnia mea ſcripta referta eſſe maledictis: cũ apertiſsimè cõſtet, me neq; in quotidianis ſermonibus, neq; in ſcriptis cuiquam unquam maledixiſſe: quamuis aliquos, quod mihi peccaſſe uiderentur, multorũ bonorũ exẽplo, me accuſaſſe nõ diffitear. Sed fortaſſe tu (quę tua eſt imperitia) adhuc ignoras, aliud eſſe maledicere, aliud accuſare. Accuſatio (ut inquit Cic.) crimen deſiderat, rẽ ut definiat, hominẽ ut notet, argumẽto probet, teſte confirmet. Maledictio uerò nihil habet ꝓpoſiti, præter cõtumeliã: quæ ſi petulãtius iactatur, ut in me nequisſimè tu feciſti, conuicium: ſi facetius, urbanitas nominatur. Quid ergo eſt? Ais nihil à me ſcriptum hactenus, quod non ſit maledicentiſsimum. at ego tibi reſpõdeo, te uel malicioſe, uel imperitè mentiri: malicioſe, ſi rem intelligis, & dedita opera tamen falſa in me conuicia iactas: imperitè uerò, ſi maledictionẽ ab accuſatione non diſtinguis. Dico igitur, me nemini unquam in ſcriptis meis maledixiſſe. Mitto enim, me multa ſcripſiſſe, quæ tu adhuc uidere non potuiſti, quoniam à me nondum

edita

edita sunt: ut, Paraphrasim in quatuor Aristot. de Cœlo libros, atque item in eiusdem philosophi duos de Generatione & interitu, Librum de modo proficiendi in studijs, Librum de officio parentum & filiorum, Duos libros de risu oratorio & urbano: Commentarios in librum de Perfecto oratore ad Brutum: Commentarios in Partitiones Ciceronis, atque in primum de Oratore: Commentarios in duos primos Georgicorum Virgilij: præterea duodecim orationes diuersorum argumentorum, quibus nōdum extremam manum addidi: Quatuor præfationes, nonnullaque alia opuscula nondū perfecta, in quib. omnibus nō modò nulli maledico, quod nūquam feci, sed neque quenquam accuso. Videamus ea quæ iuuenili quodam calore, magis quàm firmo iudicio, iam à me sunt in lucē edita: quæ tu omnia tanquā maledicentissima uituperas, ut omnes maleuolentiam tuam agnoscant. Cum essem adolescentulus, ac penè puer, orationem eam quam habueram in nuptijs Philippi Sacci, Senatus Mediolanēsis principis, emisi: quam plurimi uiri doctissimi, ac tui lōgè dissimiles, ut ab adolescēte profectam, ualdè commendarunt: in qua præter laudes ipsius principis, & totius Senatus nostri, probare etiam conabar, seni homini ducēdam uxorem esse. quid igitur in illa oratione fuit, quod maledicum appellare possis, cum in laudatione suasioneque tota uersetur? Videsne, ut primus fœtus meus te uanum et mendacem & improbum esse conuiciatorem ostendat? Non ita multo pòst exercendi styli gratia, in aleatores declamaui: quā orationem meam, cum nō ideo scripsissem ut ederetur, Franciscus Caluus, nimius rerum mearū admirator, me insciente, typis suis publicauit. sed tamen hæc etiam oratio te planè mentiri clamitat: cum in ea nemini maledicam, sed

cam, ſed iuuentutem ab alea retrahere ſtudeam, & detrimenta, quæ inde proficiſcuntur, enumerem. Quid? in Deciſionibus contra Calcagninum, quibus Ciceronem defendo, poteſt'ne quiſquam aliquod maledictionis notare ueſtigium? Fuerim fortaſſe uehemens Calcagnini reprehenſor, & adoleſcentiæ feruor me paulo acriorem reddiderit: nondum enim ſeptimum ac uigeſimum annum explerā, cum id opus conſcripſi: nullis tamen eum conuicijs, nullis maledictis ita exagitaui, ut tu præclare cenſor & magiſter morum me inſectatus es. non beluā, non beſtiam, non ſycophantam, non nebulonem, non temulentum, non ebrium, non uecordem, non attonitum, non fanaticum, non Oreſte inſaniorem, non balatronem, non Bolanum, non ſpurciſsimum, non aſinum, non turpiſsimum, non ſceleratum appellaui, nō multis deniq; alijs minime ferendis contumelijs affeci: quibus tu uerecunde ſcilicet modeſteq; uetule, cum nullas te rationes habere ſentires, in me uti non erubuiſti. Scripſi deinde Antiparadoxa: quæ te ideò excruciant, nō quia quiſquam in eis Ciceroni maledicat, cùm modeſtiſsime ſe gerant adoleſcentes, qui ibi loquuntur, leniterq; Ciceronem accuſent, magis adeò ut me ad reſpondendum prouocent, quàm ut de Ciceronis maieſtate quicquam detrahāt, quod uel cæco perſpicuum eſt: ſed quia uides in eis, quàm ingenioſe multa diſputentur, hoc te male habet, hoc te dies nocteſq; diuexat, hoc deniq; facit ut inuidia diſrumparis. Ecce autem anno ſuperiore, in ſenatu Mediolanenſi, de mutatione nominis cauſam dixi: quæ oratio mea eſt in manibus, & quam te legiſſe certò ſcio. quid eſt igitur, quod in ea tanquam maledicum poſsis reprehendere, cum tota uerſetur in defenſione mea? niſi fortaſſe, quia fidem aduerſarijs atq; accuſatori-

bus meis, ut me defendam, abrogare contendo, putas ideo me maledicum appellari posse. quod si ita est, non tantùm artis oratoriæ te prorsus ignarum esse, sed etiam omni iudicio carere, perspicuum est. Emisi tandem, iniurijs & maledictionibus tuis coactus, Apologiam contra te: qua pro meritis in me tuis, tecũ egi quàm lenissimè. neq; ullum mihi dubium est, si quis eam cum responsione tua comparare uoluerit, etiam si mihi esset inimicus, quin statim iudicet, me fortem quidem & acrem in disputando, sed modestum & lenem in accusando: te uerò cùm in mẽtiendo uehementer impudentem, tum in maledicendo magnopere contumacem. Sed, hís quę sunt extra causam prætermissis, ita decreui tecum manũ conserere, non ut inordinatum ordinem scriptorũ tuorum sequar, sed ut ea primò disputem, quæ mihi & esse grauiora per sese, & legentibus utiliora atq; iucundiora fore uidentur. Itaq; prius ea quæ de oratoribus, dialecticis, & philosophis, non tantùm indoctè, sed etiam partim falso, partim contumeliose scripsisti, quantùm facultas mea tulerit, accuratè tractabo: deinde etiam alijs criminibus tuis sigillatim respõdebo: si prius docuero, me Ciceroni semper amicum fuisse, & iniquissimè Ciceromastigem à te appellatum.

In Antiparadoxis me non ex meo sensu locutum fuisse, sed ex eorum opinione, qui ibi colloquuntur: atq; ibidem me iniquissimè Ciceromastigem à Nizolio uocari. Caput IIII.

NAm quòd ostendere conaris, me nõ ex adolescentium opinione, sed ex meo sensu locutum in Antiparadoxis: in eo tuam etiam impudentiam uel maximè patefacis. Quis enim epistolam meam legens, quam illi operi præfixi, nõ statim intelligit quę sit sententia mea? cum

cum clarissima uoce tester, me ludibundum eam disputationem suscepisse: & ea lusione mea experiri uoluisse, quid posset hominum cōtradicendi cupidorum improba loquacitas? Quid? cùm me Callicli, qui apud Platonem philosophiam improbat, & Thrasymacho atq; Glauconi, qui apud eundem Platonem iusticiam damnant, hac in re comparo: non'ne sentis importune conuiciator, quanti Ciceronem faciam: cum eum non magis uerè accusari posse affirmem, quàm philosophiam, aut iusticiam? Quid? quòd Simonidis præceptum me secutum dico, qui iubebat ut in omnibus rebus ludamus, nihil autē seriò agamus? potui'ne magis declarare, me nō seriò Ciceronem impugnasse? Quid ea collatio, qua significo me nō minus peccare, si Ciceronis rationes falsas esse credam, quàm eos qui uel animum esse mortalē, uel nullum esse deum putant? quod tu cum uel non intelligeres, uel te non intelligere simulares: ais hæc non posse simul stare, ut rationes Ciceronis falsas credam, & non ex meo sensu scribam. Quod cum tibi concessero, tu etiam illud mihi concedas necesse est: si Ciceronis rationes ueras esse credo, me non ex meo sensu locutum. sed in Antiparadoxis ubicunq; me loquentem facio, Ciceronem iniustè accusari dico: quæ res apertè declarat, ea non ex meo sensu dicta fuisse. Quid? quòd in eadē epistola eos occultè mordeo, qui ueteribus contradicere student, quæruntq; per aliorum ruinam emergere? quod tu cum clarè posses intelligere, cur à me dictū sit: malignè tamen conaris in me detorquere. Quid denique? quòd in extrema epistolæ parte lectores admoneo, ne quis temerè Ciceronem à me refelli potuisse credat? Sunt'ne hæc in ea epistola, an non sunt? Si nō sunt, uerè me accusas, & iustè contra me certamen suscepisti:

 si sunt,

si sunt, ut omnes uidere possunt, quo te nomine appellabimus? uanum? mendacem? malignum? hæc omnia leuiora sunt tuis in me meritis. temerariũ? inuerecundũ? furiosum? ne hæc quidem satis naturæ atque uoluntatis tuæ maliciam indicant. unum mihi nomen sufficere uidetur, quod omnia reliqua comprehendat: si te maximè inuidum esse dixero. Nam si quis diligenter aduertere uoluerit, nihil aliud fuisse causæ reperiet, cur in me tam furiose debacchatus fueris, nisi quòd inuidia profectus mei cruciaris. Vides enim me paruo temporis spacio id aliqua ex parte assecutũ, quod tu toto uitæ tuæ curriculo nulla ex parte unquam assequi potuisti: ut Ciceronẽ, si non perfectè imitari, at saltem adumbrare quodãmodo possim. Quod ipsum cum omnibus notum esse possit, & tu planè intelligas: occultum habere non potuisti. Nam me, quicquid boni habeo, scribis à Cicerone didicisse. quod sane libentissimè fateor, & præ me fero, & omnibus lætitijs incedo, cum hoc ab inimico dici sentio. quin etiã hac in re tibi gratias ingentes ago, eo quòd illud tacere uel nolueris, uel non potueris, quod per tantas inuidiæ tenebras tamen agnouisti: me à Cicerone meo multa bona didicisse. Quòd autem me ingratũ, & Ciceromastigem uocas, nõ minus, quàm in alijs omnibus quæ contra me scribis, te improbè mentiri dico. non enim commemorabo, me, cum iam septem annos publicè doceam, nullum unquam alium auctorem, post annum primum, quo Virgilij Georgica declaraui, præter Ciceronem aggressum fuisse. non dicam, iam quater à me publicè, quàm fieri potuit accuratissimè, Ciceronẽ fuisse laudatum, semperq; uariato dicendi genere: primò, cum eius orationes essem interpretaturus, deinde eiusdem Topica, tum cum libros de Oratore, postremò

ſtremò anno præſenti cum Partitiones interpretari cœpi: quæ præfationes in inuidiam tuam apud me ſeruantur. non dicam, nullam eſſe lectionem meam, in qua nõ iuuenes ad Ciceronis lectionem, & imitationem excitem. non dicam, in Deciſionibus quod fuerit meum de Cicerone iudicium: ubi poſt præfationem, in qua diuinis eum orno laudibus, uerba hæc cum aliquorum offenſione poſui: Ego non aliunde iudico, quàm ab uno Cicerone, latini ſermonis candorem atq; elegantiã comparari poſſe. Hæc, inquam, omnia prætereo, quibus ſatis declaratur, quanti Ciceronem faciam, ſemperq; fecerim. Volo ut ipſa Antiparadoxa, propter quæ me Ciceromaſtigem auſus es appellare, te iugulent: primò, quia in eis ſatis doceo me Ciceronis eſſe maximè ſtudioſum, & eius nominis amantiſsimum: deinde, quòd etiã multis in locis eum magnopere laudo. Nam in præfatione, grauiſsimum Ciceronis nomen eſſe dico: libro ſecundo, Romanæ linguæ parentem nomino: libro tertio, deum meũ uocare non dubito. ubi etiam hæc uerba ſunt: Magnũ Ciceronis ingeniũ, magna doctrina, magna induſtria. & paulo pòſt: Quantus ille orator ubiq;? quàm eloquẽs, quàm grauis? quàm uehemens? quàm ſuauis? Quid? quòd eum nõ modò Latinis, ſed etiã Gręcis omnib. antepono? Hęccine tibi uidẽtur eius eſſe, qui Ciceronem damnet? hęccine ſunt Ciceromaſtigis uerba? Sed eum, inquis, in diſputando Platone atq; Ariſtotele facis inferiorem. quid tum poſtea? Fit' ne iniuria Ciceroni, cum id de illo dicitur, quod ipſe ſua ſponte pluribus in locis confitetur? Sed de hac re copioſius infrà ſuo loco. Nunc mihi ſatis eſt oſtendiſſe, me neq; ex ſententia mea locutum in Antiparadoxis, cum ubiq; declarem, quæ dicuntur ab illis adoleſcentibus, non tantùm

in Ciceronem, quantùm in me, Ciceronis amatorem di ci: neq; meritò, sed potius iniquissimè Ciceromagistigem, à te, me appellari: cum ubiq; Ciceronem suspiciã, uenerer, imiter, laudem, tueri ac defendere contendam.

Consuetudinem esse philosophorum & oratorum, ut uel per alienas personas, uel per suas aliqua uituperent, & eadem etiam postea laudent: quod imperitè in me Nizolius reprehendit. Cap. V.

AT uerò, inquis, non conuenit prius offendere, ut postea defendas: neq; decet per alienam personã quicquam uituperare, quod deinde tu per tuam laudes. Cum quo tandem hæc homo imperitissime te disputare credis? nescis tibi mecum rem esse, qui paucis annis multo plura, quàm tu toto uitæ tuæ tempore legerim, audierim, annotarim? nam tua scripta, præter Ciceronẽ, quem nunquam intellexisti, te unum Diogenem Laertium, & dementem illum Trapezuntium legisse declarant: præterea neminem. Meas uerò lucubratiunculas cùm omnes alias, tum ea præcipuè, quæ tu uituperas, Antiparadoxa, si quis paulo diligentius legat, satis intelliget, non paruam in se rerum & uerborum uarietatẽ, doctrinamq; continere. Quid ergo est? dico hanc antiquissimam fuisse & Græcorum & Latinorum consuetudinem, ut exercendi ingenij gratia, ueritatisq; indagandæ, de rebus omnibus in utranq; partem disputarẽt: & quæ sibi uiderentur, modò laudarent, modò uituperarent. quod adeò clarum & perspicuum est, ut ferè probatione non egeat. Quisquis enim apud Græcos Platonem, apud nos Ciceronem legit, is profectò te insigniter delirare, facilè potest intelligere. Quot enim res, & quàm præclare modò per unam personam uituperantur

tur apud Platonem, modò per aliam laudantur? Damnat in Gorgia Callicles, quantis eloquentię uiribus potest, omnium ingenuarum artium procreatricem philosophiam: at eam non ita multo pòst defendit Socrates. Iusticiā in libris de Republica, Thrasymachus & Glauco quasi detestātur: at eorū opinionem postea Socrates refellit. Quid? quòd Homerus apud eūdem Platonem, modò de ciuitate relegatur, modò summis ad cœlū laudibus extollitur? Quid? apud Ciceronem, quo ingenio, quanta dicendi facultate Lucullus Academicos insectatur, ut eos desipere, delirare, furere dicat? quo dein de acumine, qua copia, Luculli rationes ipse Cicero subuertit? poterant igitur Academici eodē modo cum Cicerone expostulare, quo tu mecum: nempe, quòd eos per alienam personam inquinasset, ut ipse deinde ueniens ablueret tanquam fullo. Nihil'ne te pudet, ijs de rebus me accusare, quarum auctores mihi sunt duo post homines natos prę̄stantissimi, Plato atq; Cicero? quid? secundo de Natura deorum, an non rationem diuinam atq; humanam Lucilius Balbus maiorem in modū commendat: quam Cotta libro tertio tantopere uituperat, ut rem omnium pessimam esse nitatur ostendere? clames igitur licet, importunissimum sycophantam fuisse Cottā, qui rem eā, qua nihil in homine præstantius est, uituperare non dubitauit. Quid? an non legimus apud Ciceronem, opus ab ipso fuisse conscriptum, qui Hortensius inscriberetur, quod opus iniuria temporum, sicut eiusdem auctoris alia multa, intercidit: in quo magnopere per Hortensij personam philosophia damnaretur, & ab ipso postea Cicerone defenderetur? An non eadem hæc mea causa est, qui per adolescentes Ciceronem accuso, quem ipse postea defendam? Iam'ne sentis

 stolide,

stolide, iam'ne uides, me grauissimos hac in re, quam tantopere damnas, auctores imitatum fuisse? Quid enim prohibet contra rem eam, quam maiorem in modum obseruamus, acriter differere? & (quod ait Quintilianus) pro falsis & pro iniustis aliquando dicere, quo facilius ea deprehendamus, & refellamus? Neque enim Carneades ille, qui Romae, audiente Censorio Catone, non minoribus uiribus contra Iusticiam dicitur disseruisse, quàm pridie pro Iusticia dixerat, iniustus ipse uir fuit: neque ego, si per alienas personas Ciceronem accusaui, quem deinde ipse defenderem, ideo Ciceronis inimicus sum. Quòd si, cum tam pauca legeris, saltem Crassi praeceptum illud, quod primo de Oratore posuit Cicero, diligenter aduertisses: non hercle tam inscitè, tamque petulanter nefas esse dixisses, aliquem primò uituperare, deinde etiam eundẽ defendere. sic enim ait Crassus: Omnium bonarum artium scriptores ac doctores & legendi, & peruolutãdi, & exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, uituperandi, refellendi. Prò Dij immortales, fieri ne potest, ut tam supinus in legendo sis, ut haec tam clara, tam aperta, tam manifesta non aduertas? Expergiscere tandem, & grauem istum ueternum, qui te penitus oppressit, excute. Non'ne audis, ab optimo dicendi magistro praeceptum dari, ut bonos auctores exercitationis gratia uituperemus, corrigamus, refellamus? Quid ad haec contradici potest? nihil sanè. Quid igitur ualet illa ridicula similitudo tua, qua fulloni aut Hippocrati similẽ eum esse dicis, qui defendit eum, quem per alienam personam uituperat? Non haec à nobis aguntur, ut bonos auctores inquinemus, aut uulneremus, ut tu nimis insulse passim obiectas: sed ut eis aut accusandis, aut defendendis, & ipsi nos exerceamus, &

aliquod

aliquod ingenij nostri specimen alijs edamus: & denique, ut hac ratione ueritas facilius elucescat. Quid illis facies, qui ostentandi ingenij gratia, materias infames tractare uoluerunt? Hominem omnium nequissimum Busiridem, & fœminam impudicissimam Helenã laudauit Isocrates: quæ adhuc orationes ambæ leguntur. sanctissimũ omniũ & sapientissimũ uirũ Socratẽ, longa oratione Polycrates uituperauit: ut interim taceã, alios caluitiũ, alios quartanã febrim, alios muscam, alios stulticiam, exercendi ingenij gratia laudasse. Quin Alcidamus, rhetor antiquus, uitã improbasse, mortem autẽ laudasse dicitur. Semper enim hoc rhetorib. cõcessum fuit, ut & magnos uiros, & res præclaras, quoties eis placeret, uituperando deprimerent: uiles autem & abiectos homines, resq; uulgares, atq; etiam sordidas, laudando subleuarent. Quòd si seriò dici, quæcunq; ab aliquo dicuntur, existimas, cur non ius ciuile damnatum à Cicerone credis? quàm enim acutè, quàm ingeniose, quàm facetè ius ciuile totum in oratione pro Muræna deprimit, pessundat, irridet? cum tamen notissimum sit, iuris ciuilis studiosissimũ fuisse Ciceronem? Quid? quòd interdum eosdem homines ex eodem loco modò laudabat Cicero, modò uituperabat? nam aliquando magno populi plausu, M. Crassum pro Rostris cõmendauit, & eundẽ paucis pòst diebus ex eodẽ loco grauiter insectatus est. cui cum Crassus dixisset, An nõ me nuper ex hoc ipso loco laudasti? Laudaui, inquit Cicero, sed tũc exercẽdi ingenij gratia, argumentũ infame sumpseram. Sed hæc propria semper fuit Academicorũ & Peripateticorum exercitatio, ut eandem rem modò uituperarent, modò laudarent, modò accusarent, modò defenderent: quam te ignorare nõ mirum est, quippe qui nec

 pictum

pictum quidem (quod aiunt) philosophum unquam agnoueris.

Planè decipi Nizolium, qui dicat Aristotelem non ut philosophum, sed ut perfectum oratorem à Cicerone laudari, & differendi principem appellari. Caput VI.

DIxerat in Antiparadoxis Antonius Comes, consobrinus meus, hæc uerba de Cicerone: Quantus ille orator ubiq; , quàm eloquens? quàm grauis? quàm uehemens? quàm suauis? nam in ijs etiam quæ de philosophia tractauit, maxima apparet eloquentia. sed profectò quanto in dicendi facultate cæteris omnibus non Latinis tantùm, sed etiam (meo quidē iudicio) Græcis antecelluit, tanto in differendi ratione Aristotele, cæterisq; Peripateticis inferior est. quamuis enim de ea philosophiæ parte, quæ ad mores honestè conformandos attinet, multa prȩclarè scripserit: tamen rationes suas approbandi, atq; alienas refellendi, laudem Aristoteli magistro relinquat, suas ipse causas forenses agat. Hæc tu cum uerba legisses, quibus à me per alienā quidem personam, sed tamen ex sententia mea tantopere ornatur Cicero, statim exclamasti, magnam à me Ciceroni, cæterisq; oratoribus iniuriam fieri, si Aristoteli, ac Peripateticis in differendi ratione postponantur: atq; hinc nactus occasionem, in communem locum excurristi, quo probare tentares, dialecticis & philosophis oratores in differendi ratione superiores esse. quod quàm inscitè, quamq; imprudenter sit à te factum, sequēti capite statim apparebit. Prius enim commentum illud tuum euertere constitui: in quo cum negare non posses, ab Aristotele Ciceronē in disputandi arte superari, fingis ipsum Ciceronem Aristoteli non tanquam philosopho, sed tanquam perfecto oratori palmam differendi conce-

concedere. qua in re (quod prouerbio dici solet) fumum fugiens, in flammam incidisti. Videris enim tam hebeti, tamq; tardo esse ingenio, ut dum amplificare Ciceronis laudes quæris, eas uehementer imminuas. Dij boni quàm iucundè, quamq; suauiter hac in parte cum quibusdã amicis meis literatis hominib. risi? Cum enim more tuo multa conuiciorum millia contra me furiose congessisses, propterea quòd ego Ciceronem oratoribus quidem omnibus cùm Latinis, tum Græcis antecellere dixeram, sed in differendi ratione esse Aristotele inferiorem: tandem concludis, Aristotelem non ut philosophum, sed ut oratorem esse Cicerone superiorem. Dicas igitur mihi uelim disertissime atq; acutissime Ciceronis patrone, uter tandẽ nostrûm magis Ciceronem laudat? tu'ne, qui nescio quem fingis oratorem Aristotelem, quem ei longè præponas: an ego qui omnium qui post natos homines fuerunt, oratorũ principẽ illum facio? certe si Cicero (quod tu perperam sentis) Aristotele, tanquam oratore inferior est: nõ rectè princeps oratorum appellari potest. Itaq; te patrono nõ modò doctrinæ atq; excellentiæ suę fines non ampliabit Cicero, sed etiam de ueteri, & iampridẽ à plurimis illi concessa, possessione depelletur, atq; deijcietur. Est inter multos controuersia, uter præstantior sit orator, Demosthenes'ne, an Cicero: quoniam hi duo principes habentur eloquẽtiæ: sunt enim qui Demosthenẽ, tanquam in dicendo grauiorem & uehementiorem, Ciceroni præponendum existiment. Ego autem cum illis sentio, qui uictum à Cicerone Demosthenem cõtendunt. At tu nescio quo è gurgustio, nostro tempore nouus censor emergis, qui Aristotelẽ è philosophiæ umbraculis in solẽ & puluerẽ educas, & eũ in eloquẽtia Ciceroni ante-

ponas: quò scilicet, te auctore, maior Ciceronis laus appareat, si non philosopho, sed oratore in differendi ratione uideatur inferior. Quid ego tibi faciã Nizoli, si tã oscitanter, tamq; dissolute res tuas tractas, ut ab omnibus meritò rideri possis? ut quam suscepisti causam, per summam imprudentiã prodas? ut dum unum Ciceronis digitulum tutari uis, tu ipse patronus eius, totum illi caput imminuas? Ego certè, quantum in me est, non patiar quoquam oratore Ciceronem inferiorẽ uideri. Dico igitur, atq; ita dico, ut omnes literatos audire uelim, te planè mentiri, qui dicas Ciceronẽ Aristoteli non tanquam philosopho, sed tanquam oratori, disputandi palmam concedere. atq; hoc oppono, magni quidem Aristotelem à Cicerone fieri, sed nunquam ut oratorem, uerùm semper ut philosophum, in differendi ratione subtilem & copiosum. Possumus'ne magis dissentire? non opinor. Quid ergo? quem huius nostræ controuersiæ arbitrum eligemus? Ego quidem (uide quantum causę meæ fidã) te hac in re iudice uti uolo: te ipso iudice uincam necesse est, etiam si tibi ilia disrumpãtur. Sed quod ad hoc propositum attinet, apud Ciceronem duo philosophorum genera fuisse reperio: quorũ alij solebant omnem orationis ornatũ contemnere, quales fuerunt Stoici, de quibus tertio de Oratore Crassus ita ait: Accedit, quod orationis etiam genus habent fortasse subtile, & certè acutum, sed ut in oratore exile, inusitatũ, abhorrẽs ab auribus uulgi, obscurum, inane, ieiunum. Alij uerò graues, copiosi, & ornati in dicendo esse uoluerũt, quales Academici, Peripateticiq; semper existimati sunt: qui quamuis orationis aurea flumina funderent, non tamen in oratorum numero sunt habiti: sed illam potius differendi subtilitatem rationemq; non à rhetoricis pręceptis,

ceptis, sed ab ipsa philosophia, bonarũ omnium artium procreatrice sumpserũt. quod sanè multis in locis osten dit ipse Cicero, sed apertissimè tertio de Oratore, quem tu locum, sicuti soles omnia, negligentissimè percurristi. ubi sunt hæc uerba: Sin aliquis extiterit aliquando, qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramq; sen tentiam possit dicere, & in omni causa duas contrarias orationes præceptis illius cognitis explicare, aut hoc Ar cesilæ modo & Carneadis contra omne quod propositum sit, disserat, quiq; ad eam rationem adiungat hunc rhetoricũ usum moremq;, exercitationemq; dicendi: is sit uerus, is perfectus, is solus orator. Audis'ne hoc lo co Nizoli rationem illam in utramq; partem disserẽdi, quæ propria fuit Platonis, & Aristotelis, cæterorumq; Peripateticorum, & Academicorum, ab usu rhetorico separari? sentis'ne eum perfectum oratorem esse, non qui tantùm Aristotelio more de omnib. rebus in utrãq; sententiam possit dicere, sed qui ad eam rationem, rhetoricum etiam usum adiunxerit? Nam quæro à te, quæ sit illa ratio, quam ab usu rhetorico separat hoc loco Cicero? non'ne illa est, quam in dialecticis tradit Aristoteles? non illa, quam nisi sumat à Philosophis orator, excellere nullo modo potest? Sed Aristoteles, inquis, perfectus est orator. Quid si doceo ex Ciceronis sententia, non modò non esse perfectum oratorem Aristotelem, sed ne oratorem quidem? quid si doceo, planè ab oratorum collegio reijci atq; deturbari, sententia Ciceronis, Aristotelem? quid dices? an non te tanquam ineptum rabulam turpissimè uictum fatebere? Proposuerat in Bruto Cicero, Græcos qui excelluerunt, & Latinos om nes oratores recẽsere. Græcos igit̃ primò numerat, qua in parte nullã penitus Aristotelis mentionẽ facit: certè

non ſine flagitio prętermiſſurus, ſi (quod tu fingis) eum perfectum oratorem exiſtimaſſet. imò uerò ait, Socratē & philoſophos alios, ab oratorū genere abhorrere. cum enim Leontini Gorgię, Thraſymachi Chalcedonij, Protagoræ Abderitæ, Prodici Chij, Hippiæ Elæi mentionem feciſſet, addit hæc uerba: Iis oppoſuit ſeſe Socrates, qui ſubtilitate quadam diſputandi, refellere eorum inſtituta ſolebat uerbis. huius ex uberrimis ſermonibus extiterunt doctiſsimi uiri: primumq́ tum philoſophia, nō illa de natura, quæ fuerat antiquior, ſed hæc in qua de bonis rebus, & malis, deq́ hominum uita & moribus diſputatur, inuenta dicitur. quod quoniā genus ab hoc quod propoſuimus, abhorret, philoſophos aliud in tempus reijciamus: ad oratores, à quibus digreſsi ſumus, reuertamur. His uerbis ſatis oſtendit Cicero, Socratem, Platonem, Ariſtotelem, cęterosq́ philoſophos omnes, ab oratorum numero ſeparandos. Quin etiam eodem in opere fatetur, magnam quidem utilitatem oratori à philoſophia prouenire: ſed tamē aliud eſſe philoſophicè, aliud oratorio more dicere. cuius hæc ſunt uerba: Quod ſi omnia à philoſophis eſſent petenda, Peripateticorum inſtitutis commodius fingeretur oratio: quo magis tuum Brute iudicium probo, qui eorum, id eſt, ex uetere Academia philoſophorū ſectam ſecutus es, quorum in doctrina atq́ præceptis diſſerendi ratio coniungitur cum ſuauitate dicendi, & copia. quanquam ea ipſa Peripateticorum, Academicorumq́ conſuetudo in ratione dicendi talis eſt, ut nec perficere oratorem poſſit ipſa per ſeſe, nec ſine ea orator eſſe perfectus. Volo igitur aduertas Nizoli, peripateticam dicēdi rationem eſſe talem, ut ipſa per ſeſe nō poſsit oratorem perficere. Quòd ſi dicendi ratio, quæ oratorum propria eſt, Peri-

patetico

patetico more tractata, oratorem perficere non poteſt: certè Ariſtoteles, Peripateticorum princeps, quamuis magnam dicendi rationem habeat, non poterit orator eſſe perfectus: imò uerò, teſte Cicerone, ne orator quidem eſt. Nam in eo libro qui Orator inſcribitur, planè ab oratorum collegio Platonem & Ariſtotelem ſeiungit, cum ita inquit: Cæterarum enim rerum quæ ſunt in oratore, partem aliquã ſibi quiſq; uendicat: dicendi autem, id eſt eloquendi, maxima uis ſoli huic conceditur: quanquam enim & philoſophi quidam ornatè locuti ſunt (ſi quidẽ & Theophraſtus diuinitate loquendi nomen inuenit, & Ariſtoteles Iſocratem ipſum laceſsiuit, & Xenophontis uoce Muſas quaſi locutas ferunt: & longè omnium quicunq; ſcripſerunt, aut locuti ſunt, extitit dicendi copia, & grauitate princeps Plato) tamen horum oratio neq; neruos, neq; aculeos oratorios ac forenſes habet, & quæ ſequuntur. multis enim uerbis philoſophos ab oratoribus diſtinguit. Sed quid exemplis opus eſt? cum hoc apertè conſtet, nunquam ut oratorem, ſed ut philoſophum in dicendo grauem & politum, Ariſtotelem à Cicerone laudari? Quo magis irridenda eſt improbitas tua, qui tam perſpicuè mentiri audeas. Nam illi ipſi loci quos tu citas, contra te faciunt: ut paulo pòſt audies. Quum enim Ariſtoteles in omni philoſophiæ genere uerſaretur, nihil ſibi prætermittendum eſſe cenſebat, quod uel ad rerum cognitionem, uel ad ſermonis elegantiam pertineret. Itaq; non, ut quidam alij philoſophi, penitus eloquentiam contempſit: ſed (ut ait Cicero libro Rhetoricorum ſecũdo) nonnullam rhetoricæ quoq; artis ſibi curam aſſumpſit. Quare ſuam docendi rationem ita diſtribuit, ut matutina tempora rebus obſcuris, & ab ipſa natura inuolutis impenderet, ho

ris uerò pomeridianis discipulos suos in docendi præceptis exerceret. ac primò quidem disputationes suas rhetoricas à causis forensibus & ciuilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulit, ut tantùm ea quæ ad elocutionem attinent, adolescentibus traderet. postea uerò cum florere Isocratem nobilitate discipulorum uideret, quadã inuidia atq; æmulatione ductus, mutauit repentè totam formam disciplinæ illius suæ, qua in rhetoricis exercitationibus antea uti solebat. De quo ita Quintilianus libro tertio: Nam & Isocratis præstantissimi discipuli fuerunt in omni studiorum genere: eoq; iam seniore (octauum enim & nonagesimum impleuit annum) pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artẽ oratoriam cæpit, noto quidem illo (ut traditur) uersu ex Philocteta frequenter usus, Αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν. Hæc quidem ita de Aristotele traduntur. Sed si quæras à Cicerone, uter præstantior fuerit orator, Aristoteles'ne, an Isocrates? statim respondeat, ne comparandum quidem Aristotelem in oratoria facultate, cum Isocrate: siquidem Aristoteles hæc præcepta rhetorica more quodam philosophico tractauit, atq; ea causa tantùm, ut rerum cognitionem cum orationis exercitatione coniungeret. Isocrates uerò, totus in dicendi erat studio & præceptione occupatus: quod libro de Inuentione secundo tradit Cicero. Sed locum obijcis ex tertio de Oratore, ubi Crassus docto oratori palmã dat. quid autem hoc ad propositum nostrum? Efficitur'ne hac de causa, ut Aristoteles doctus sit orator? non'ne aduertis, quid ibi Crassus disputet? uult enim rerum doctrinam cum summa eloquentia coniungi: ut perfectus ille orator fiat, qui neq; unquam fuit, neq; futurus est. Comprehendebat enim animo Crassus, id quod etiã in Oratore

ad Bru-

ad Brutum Cicero facit, imaginem quandam summæ perfectionis in homine: cui neq; ad intelligendum, neq; ad dicendum quicquam deesset, qui sapientiã eloquentiæ coniunctam haberet: & ei siue orator, siue philosophus diceretur, palmam esse dandam dicit. itaq; uerba illa posuit: Quorum si alterum sit optandũ, malim equidem indisertam prudentiam, quàm stultitiam loquacẽ. sin quærimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est. Vides'ne, si separantur rerum cognitio, & eloquentia, longè præstantiorem fore rerum cognitionem? si uerò coniungantur, doctum oratorem, hoc est, philosophum oratorem (ut etiam tu interpretaris) excellere? sed qua de causa excellit? non certè propter dicendi copiam, quæ à cognitione rerum separata, stultitia loquax appellatur: sed propter ipsam rerum doctrinam, & propter moderatricem rerum omnium sapientiam. Quod autem hoc loco iubes, ut attendam, à philosophis eloquentiam contemni: non uideo, quid hoc ad causam faciat. Quid enim refert, quòd aliqui philosophi contemnant eloquentiam, & oratores fieri nolint? idcirco'ne uinces, eos in disserendi subtilitate esse oratoribus inferiores? Sed de hac re nondũ est dicendi tempus: uolò enim prius ei loco respondere, quo scribit Cicero, solitum Aristotelem, non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum, in utrãq; partem adolescentes exercere: qui sanè locus sententiam meam non modò nõ impugnat, sed etiam uehementer corroborat. Concedo enim, Aristotelem in dicendo reliquis philosophis longè copiosiorem & acutiorem fuisse: sed tanquam oratorem à Cicerone disserendi principem appellari, non concedo. nam si ita esset, etiam oratorum princeps ab eodem Ci-

cerone diceretur: quod tantùm abest à ueritate, ut cum (quemadmodum suprà docui) in oratorũ numero Cicero nõ habeat. tu uerò tam pinguem habes intellectũ, ut Ciceronis uerba nõ intelligas: quippe qui existimes, de Aristotele philosopho dictum illud à Cicerone fuisse, cum disputationes suas ad inanem sermonis elegantiam transtulisset. qua in re satis oscitationem tuam mirari non possum, qui tantarum rerum repugnantiã non aduertas. Nam si philosophi (quod ais) omnẽ eloquentiam contemnunt, quomodo suas disputationes ad inanem sermonis elegantiam transferunt? Repugnant enim hæc omnino: negligere prorsus eloquentiam, & tantùm sermonis elegantiam quærere. quam si repugnantiam non uides, nihil penitus uides. Disce igitur, quantis in tenebris uersere: ut tandem aliquando de ijs rebus quas non intelligis, garrire desinas. Aristoteles enim suas disputationes in duas scholas diuiserat: matutinas, & pomeridianas. in matutinis scholis de rerũ cognitione disputabat, & ea studiose omnia quæ philosophum intelligere decet, pertractabat: in pomeridianis autem, de rhetoricis præceptis differebat. quam quidẽ Aristotelis consuetudinẽ, Aulus Gellius libro xx. cap. iiij. eruditè sanè atque elegãter his uerbis expressit: Commentationum suarum, artiumque quas discipulis tradebat Aristoteles philosophus, Regis Alexandri magister, duas species habuisse dicitur: alia erant quæ nominabat ἐξωτερικὰ, alia quæ appellabat ἀκροαματικά. ἐξωτερικὰ dicebantur, quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, ciuilium rerum noticiam cõducebant. ἀκροαματικὰ autem uocabantur, in quibus philosophia remotior, subtiliorque agitabatur, quæque ad naturæ contemplationes, disceptationesue dialecticas pertinebẽt.

huic

huic disciplinæ, quam dixi ἀκροαματικὴν, tempus exercendæ dabat in Lycio matutinum: nec ad eam quenquam temerè admittebat, nisi quorum antè ingenium, & eruditionis elementa, atq; in discendo studium, laboremq; explorasset. illas uerò ἐξωτερικὰς eodem in loco uesperi faciebat, easq; uulgò iuuenibus sine delectu dabat: atq; eum δειλινὸν περίπατον appellabat, illum alterũ suprà ἑωθινόν: utroq; enim tẽpore ambulans disserebat. Hæc Gellius. Cum igitur in rhetoricis præceptis adolescentes exercere cœpisset Aristoteles, eis primò tantum elocutionis præcepta tradebat, & ea quæ ad sermonis elegantiam spectare uideretur: postea uerò Isocratis gloria motus, cæteras etiã rhetoricæ partes, hoc est, inuentionem, & dispositionẽ oratoriam, amplecti cœpit, & iuuenes ad forenses causas præparare. Hoc est igitur quod ait Crassus, Aristotelem suas disputationes primò ad inanem sermonis elegantiam transtulisse: neq; de matutinis, hoc est de philosophicis disputationibus intelligit (ut tu fortasse falsò somnias) sed de pomeridianis, quib. rhetorica præcepta docebat. quare noli posthac tam oscitanter, quos non intelligis, locos interpretari uelle. Quod autem esse morem Philosophorum, ut tenuiter disserant, ait Cicero: non uideo, cur hoc à te uitio philosophis detur, si contractius & pressius disserant, quàm oratores: cum præsertim philosophi rationum momenta potius, quàm uerborum copiam quærant: & non cum populo, sed cum eruditis disputent: oratores autem uulgares sępius opiniones sequantur, & imperitæ multitudini placere studeant.

Nulla ratione probatum à Nizolio, quod temerè proposuerat, oratores in differendi ratione dialecticis & philosophis esse longè superiores: quod apertè falsum esse ostenditur. Caput VII.

VEnio nunc eò, quò me sine causa, contraq; uoluntatem meam, tam studiose, tamq; cupidè uocas: perinde quasi aliquid habeas, quod aut reconditum sit, aut firmũ ad istam falsam opinionẽ tuã cõprobandam. proponis enim arrogãter sanè atq; temerè, te probaturũ oratores in differendi ratione non solum non esse inferiores dialecticis & philosophis, sed etiam longè superiores. deinde cum ad huius propositionis tuæ probationem tibi ueniendum est, meras tantum nugas, & Siculis (quod aiunt) gerris uaniores in medium adducis: neq; ullum prorsus eiusmodi argumẽtum habes, quod mediocriter istud propositum tuum affirmare, aut sustentare posit. Primò enim Platonem & Aristotelem, quoniam eos differendi principes fuisse perspicuũ est, à philosophorum numero conaris abducere, & oratoribus aggregare: quod quàm imperitè, quamq; ineptè facias, satis à me iam superiori capite declaratum est. deinde unum tantum addis argumentum, à disertorum nomine sumptum, quoniam oratores diserti uocantur, philosophi uerò non item: atq; ita rem tibi confectam putas. nihil enim aliud penitus habes. Et tantus oratorum patronus, in tam illustri tamq; graui causa, nihil prorsus excogitare potuisti, quod sententiam tuam reddere probabilem posset: sed uix à ueterno grauatum caput attollens, & manibus somnolentos oculos fricans, tali argumento in excitatos & uigilãtes dialecticos insurgis: oratores diserti uocantur, philosophi uerò eruditi & docti: ergo in differendi ratione philosophis oratores longè sunt

ge sunt excellentiores. O miram, & acutam, & subtilem contra philosophos disputationem tuam Nizoli, quæ uel Chrysippum ipsum omnium in disserendo subtilissimũ, si reuiuiscat, facile perterrefacere posit. Quid ais? oratores sunt in ratione disserendi philosophis superiores. ita ais? qua de causa quæso? quoniam oratores diserti uocantur: philosophi uerò non diserti, sed eruditi, & docti nominantur. Audio. quid tum postea? potes'ne hoc idem alijs aliquibus rationibus confirmare? Non, inquis: nam hoc est uallum meum, hæc turris, hic cuniculus, hoc tormentum, hic aries: hoc denique totum instrumentum bellicum, quod ego pro oratoribus contra philosophos apparaui: si suo se nomine oratores defendãt, & philosophos euertãt. Sed quid facies, si tuo te gladio iugularo? iacebis (ut opinor) πυρὸς βδίων, quod dici solet. Dico igitur, istud argumentum tuum, à nomine sumptum, quod (ut aliàs diximus) omnium leuissimum est, multo magis pro philosophis, quàm pro oratoribus facere: atque ostendere, philosophos esse oratoribus in disserendi ratione superiores. Nam oratores diserti tantùm uocantur, eo quòd populariter disserant: philosophi uerò, docti & eruditi, propterea quòd doctè & eruditè disserant. Potes'ne dicere, hoc nõ esse consectarium? quis negare audeat, longè subtilius & acutius eos disserere posse de omni re proposita, qui docti sint, & eruditi, quàm qui populariter tãtùm diserti sint? an adeò crassus & pinguis es, ut quæ ex oratore Ciceronis uerba citasti, non uideas apertè contra sententiam tuam facere? quid enim ait Cicero? Ita, inquit, & doctis eloquentia popularis, & disertis elegans doctrina defuit. Hac igitur ratione neque philosophos, neque oratores perfectè eloquentes fuisse demõstrat. doctis enim, hoc

est philosophis, eloquentiam popularem adimit, doctrinam elegantem attribuit: disertis uerò, hoc est oratoribus, doctrinam elegantem adimit, popularem eloquentiam attribuit. quo fit, ut in differendi ratione tanto sint oratoribus excellentiores philosophi, quanto elegans doctrina populari eloquentiæ præstat. Eodem modo cum ait Cicero, aliam esse eruditam, aliam popularem orationẽ: ostẽdit, ab eruditis & philosophis longè subtilius, quàm ab oratoribus disputari. Quid? quòd in exordio librorum de Oratore tradit, nihil quod ad differendi rationem attinet, à philosophis fuisse prætermissum? cum ita scribit: Neq; enim te fugit, laudandarum artium omnium procreatricem quandam & quasi parentem, eam quam φιλοσοφίαν Græci uocant, ab hominibus doctissimis iudicari: in qua difficile est enumerare, quot uiri quanta scientia, quantaq; in suis studijs uarietate & copia fuerint: qui non aliqua in re una separatim elaborarint, sed omnia quæcunq; essent, uel scientiæ peruestigatione, uel differendi ratione comprehenderint. Quid? quòd ait in eodem exordio, maximum in dicendo uitium esse, à uulgari genere orationis, atq; à consuetudine communis sensus abhorrere? ut ne subtiliter quidem, etiam si sciat, differere posit orator, nisi in maximum incidere uitium uelit. Verùm ut hunc nodũ, quàm fieri potest, breuiter & accuratè dissoluamus: illud à nobis primò propositum sit, cum dicimus philosophos oratoribus in differendo superiores esse, nos non de illis oratoribus aut philosophis intelligere, qui tantum intelligentia & cogitatione perfecti finguntur, re uerò ipsa nunquam fuerunt, neq; esse possunt, qui rerum omnium maximarum scientiam cõprehenderint, & omnem sapientiam cum omni dicendi copia copularint:

larint: sed de illis, qui philosophorum & oratorum nomine communiter appellantur: quales fuerunt è philosophis, Plato, Xenophon, Aristoteles, Xenocrates, Theophrastus: ex oratoribus, Isocrates, Demosthenes, Lysias, Demades, Aeschines. nam quamuis & illi philosophi nonnullam eloquentiæ curam habuerint, & hi oratores aliquam philosophiæ operam dederint, ut in dicendo copiosiores essent: non tamen ideo sequetur, ut aut illi philosophi (quemadmodum tu existimas) in oratorum numerum cooptari debeant, aut hi oratores in philosophorum. Quod si aliquis existere posset, qui omnem philosophorum doctrinam cum perfecta eloquentia comprehenderet, quod M. Antonius ille disertus uix Deo concessum esse dicebat: non est dubium, quin is unus ex omnibus plurimũ excelleret, siue summus philosophus, siue omni laudum genere cumulatus orator diceretur: atque huic sine dubitatione (quod ait Crassus) palma danda esset. Verùm quia nemo talis unquam fuit, neq; fortasse futurus est: illam formam, siue idæam perfecti oratoris aut philosophi relinquamus: & ex ijs qui philosophi, & qui oratores nominantur, uideamus utri tandem sint in differendi ratione superiores. Ac primò quidem, ne in uocabulum aliqua cadat ambiguitas, uidendum est, quid apud Ciceronem differendi ratio significet. Dico igitur, à Cicerone triplicẽ differendi rationem poni: unam, pressam & subtilem, quæ eadem Dialectica dicitur: alteram, eruditam & copiosam, quæ rhetorica philosophorum, & elegans doctrina uocatur: tertiam, popularem, & hominum opinionibus accommodatam, quæ rhetorica forensis, & popularis eloquentia nuncupatur. quæ mea diuisio, Ciceronis est auctoritate comprobanda, qui secundo de

Finibus

Finibus ita scribit: Rhetoricè igit̃ nos mauis, quàm dia lecticè disputare? quasi uerò perpetua oratio rhetorum solum, non etiam philosophorum sit. Zenonis hoc est Stoici, omnem uim loquendi, ut iam antè Aristoteles, in duas tributam esse partes, dicere: rhetoricam palmæ, dialecticam pugno similem esse dicebat: quòd latius lo querentur rhetores, dialectici uerò compresſius. obse quar igitur uoluntati tuæ, dicamq́, si potero, rhetoricè: sed hac rhetorica philosophorum, nõ nostra illa forensi, quam necesse est, cum populariter loquatur, esse inter dum paulo hebetiorem. Hactenus Cicero. quo in loco profectò uides, nisi penitus cæcus es, uerã esse diuisio nem nostram. Nam primò ponitur dialectica, quæ cõ presſius disserat: deinde rhetorica philosophorum, quę eruditè quidem, sicuti dialectica, sed latius & copiosius loquatur: postremò rhetorica forensis, quæ popularis & paulo hebetior sit. Quæ cum ita sint, in prima atque in secunda disserendi ratione, dico philosophos orato ribus esse longè superiores: in tertia uerò, eosdem philo sophos oratoribus ideo cedere, nõ quia superiores esse nõ facilè posſint, si se in ea exerceant, sed quòd eam cõ temnant, atq; indignã homine sapiente iudicent. Ac de prima quidem nõ dubiũ est, quin philosophis oratores cedant, ac præcipuè Stoicis, & ijs qui dialectici uocan tur: quorum acumen multis in locis admiratur Cicero. ut in Bruto: Omnes ferè Stoici prudentisſimi sunt in dis serendo, idq́ arte faciunt. Et paulo superius de Rutilio dixerat: Panętij auditor propè perfectus in Stoicis, quo rum peracutum, & artis plenum orationis genus est, sed tamen exile, nec satis populari assensioni accommo datum. Horum igitur dialecticorum acumen oratores non agnoscũt. itaq; secundo de Oratore, M. Antonius,

Stoicorum hanc disciplinam, tanquam ab eloquentia populari abhorrentē, improbat: Vides'ne, inquit, Diogenem fuisse, qui diceret, artem se tradere bene disserendi, & uera ac falsa diiudicandi, quam uerbo Græco διαλεκτικὴν appellaret? Et quæ sequuntur, multa cōtra Stoicos. De secunda disserendi ratione tecū mihi tota controuersia est, quæ multis nominibus à Cicerone appellatur. modò enim rhetorica philosophorum dicitur, ut secundo de Finibus: modò subtilitas disserendi, ut primo de Oratore: modò diligens ratio disserendi, ut initio Topicorum: modò elegans doctrina, ut in Oratore ad Brutum: modò ratio de omnibus rebus in utramq; sententiam dicendi, ut tertio de Oratore. Sed quocūq; modo appelletur, dico, in ea longè oratoribus antecellere philosophos. primò, quia philosophi fuerunt eius auctores, & inuentores: deinde, quia Cicero, quo auctore ambo nitimur, non oratores, sed philosophos in hac ratione disserendi principes agnoscit. ut tertio de Oratore: Quorum princeps, inquit, Socrates fuit: is qui omnium eruditorum testimonio, totiusq; iudicio Greciæ, cùm prudentia, & acumine, & uenustate, & subtilitate, tum uerò eloquentia, uarietate, copia, quam se cunque in partem dedisset, omnium fuit facilè princeps. Initio Topicorum: Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, unam inueniendi, alteram iudicandi: utriusque princeps (ut mihi quidem uidetur) Aristoteles fuit. Primo de Oratore Crassus: Sed si me audierit, inquit, quoniam philosophia in tres partes est distributa, in naturæ obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in uitam atque mores: duo illa relinquamus, id'que largiamur inertiæ nostræ: tertium uerò, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil ora-

tori, in quo magnus esse posit, relinquemus. Secundo de Oratore, M. Antonius: Carneadis uerò uis incredibilis illa dicendi, & uarietas perquàm esset optanda nobis, qui nullã unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit: nullã oppugnauit, quam non euerterit. Hæc est illa Peripateticorum & Academicorum differendi ratio, cuius gloriam philosophis Cicero non inuitus concedit. At, inquis, Cicero nullo modo pati uult, ut orator philosopho succumbere dicatur: & si succumbat, dicit illum qui uincit, non philosophum esse, sed oratorem meliorem. Imò uerò nusquam hoc Cicero ex sententia sua dicit, sed ubiq; differendi subtilitatem philosophis attribuit. uerùm tertio de Oratore, Catulus Crasi quodammodo sententiam cõprobans, qui oratori summa omnia tribuebat, contra Platonem audet insurgere, qui Leontino Gorgia patrono, scripsit oratorem philosopho succubuisse: atq; ait, aut nunquam fuisse uictum à Socrate Gorgiam, & illum Platonis sermonem non esse uerum: aut si uictus fuit, eloquẽtiorem fuisse & disertiorem Socratem. quod quidem hactenus admitti potest. Sed id quod sequitur, totum est Crasi auribus datum, quando ait: Et (ut tu appellas) copiosior & melior orator. Concedi enim potest, Gorgia Leontino Socratem eloquentiorem & disertiorem fuisse: sed ideo tamen non sequitur, eundem oratorem fuisse meliorem: cum præsertim ipse Socrates maximè semper oratores insectatus fuerit, ut apud Platonem multis in locis uidere licet: & istam popularem eloquentiam, qua una quicunque fuerunt in oratorum numero, semper præstiterunt, magnopere contempserit. ut tertio de Oratore Crassus: Inuenti sunt, qui cum ipsi doctrina & ingenijs abundarent, à re autem ciuili,

& à negocijs animi quodam iudicio abhorrerent: hanc dicendi exercitationem exagitarent, atq; cõtemnerent, quorum princeps Socrates fuit. Quid? quòd primo de Oratore M. Antonius apertè contra hanc Catuli sententiam ait, Socratem nullam aliam ob culpã fuisse condemnatum, nisi propter dicendi inscitiam? quia scilicet ab ista oratoria dicendi ratione semper abhorruit: atq; ita in iudicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed ut magister aut dominus uideretur esse iudicũ. quin etiam cum ei scriptam orationem disertissimus orator Lysias attulisset; quam, si ei uideretur, edisceret, ut ea pro se in iudicio uteretur: non inuitus legit, & commodè scriptam esse dixit, sed inquit: Vt si mihi calceos Sicyonios attulisses, nõ uterer, quãuis essent habiles, & apti ad pedẽ, quia nõ essent uiriles: sic illã orationẽ disertã sibi & oratoriã uideri, fortẽ & uirilem nõ uideri. Non igitur habitus est unquã orator Socrates, siquidẽ Lysias ei scripsit orationẽ, qua pro se in iudicio uteretur. quod profectò non fecisset, si in oratorum numero Socrates fuisset. Quid ergo? Socrates non fuit eloquens? nõ certè, si aut de populari eloquentia uerba faciamus, aut de illa perfecta eloquentiæ forma, quæ animo atq; intelligentia comprehendi potest, & in nullo unquam homine reperta fuit. de qua loquitur in exordio librorum de Oratore Cicero, cum ita ait: Ac mea quidem sententia, nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atq; artium scientiã consecutus: & quam animo uidebat M. Antonius primo de Oratore, cum ita dixit: Tumq; ego hac eadem opinione adductus, scripsi etiam illud in libello, qui me imprudente & inuito excidit, & peruenit in manus hominum: Disertos me cognosse nonnullos, eloquentem

adhuc neminem: quòd eum statuebam disertum, qui posset satis acutè atq; dilucidè apud mediocres homines, ex communi quadam hominum opinione dicere: eloquentem uerò, qui mirabilius & magnificentius augere posset atq; ornare quæ uellet, omnesq; omnium rerum quæ ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria cõtineret. Hoc sanè modo neq; Socrates, neque quisquam alius fuit unquam eloquens, qui & illam popularem eloquentiam atq; oratoriam, & hanc philosophicam doctam & eruditam perfectè coniunxerit. nam Socrati, Platoni, & Aristoteli, qui principes philosophorum sunt, popularis eloquentia defuit: in Demosthene uerò, atq; Lysia, qui principem inter oratores locum obtinent, docta illa & erudita philosophorum eloquentia non fuit. quod ijs uerbis in Bruto docet Cicero, ubi de Academicis & Peripateticis loquitur: Nam ut Stoicorum astrictior est oratio, aliquantoq; contractior, quàm aures populi requirunt: sic illorum liberior & latior, quàm patitur consuetudo iudiciorum & fori. Quis enim uberior in dicẽdo Platone? Iouem sic aiunt philosophi, si græcè loquatur, loqui. quis Aristotele neruosior, Theophrasto dulcior? lectitauisse Platonem studiose, audiuisse etiam Demosthenes dicitur: idq; apparet ex genere & granditate uerborum. Dicit etiam in quadam epistola hoc ipse de sese: sed & huius oratio in philosophiam translata pugnacior (ut ita dicam) uidetur, & illorum in iudicia pacatior. Hæc Cicero. quibus ostenditur, neq; Platonem & Aristotelem posse dici oratores, neq; Demosthenem philosophum. Attamen oratores uis in disserendi ratione philosophis esse superiores. qua de causa? iam enim mihi tecũ presius agendum est. uel apud quos habẽtur superiores? num apud

erudi-

eruditos, an apud imperitam multitudinem? si apud imperitam multitudinẽ dicis, nihil tecum pugno: quoniam (ut ait Quintilianus) plerunq; fit, ut indocti uulgò & ingeniosius & copiosius & fortius dicere uideantur: quod iudicio malè iudicantium accidit, qui maiorẽ habere uim credunt ea, quæ non habent artem. & ideò copiam habere maiorem indocti uidentur, eo quòd dicunt omnia. doctis est & electio, & modus: quod etiam Aristoteles Rhetoricorũ ad Theodectem libro secundo confirmat. itaq;, ait Quintilianus, ingeniosi uocentur ut libet, dum tamen constet, contumeliose sic laudari disertum. Vides igitur, hac in re magnam à te contumeliam oratoribus fieri, si ideo philosophis eos superiores esse dicas in differendo, quòd magis uulgò probentur? Restat igitur, ut apud eruditos superiores habeantur. sed quis hoc affirmare audeat, qui sciat oratoris omnem actionem debere esse popularẽ? quæ (quod secundo de Oratore M. Antonius ait) mendacio nixa sit, quæ ad scientiã non sæpe perueniat, quæ opiniones hominũ, & sæpe errores aucupetur? philosophos autẽ diligẽter & eruditè differere, & in omni re, quid uerũ, quid falsum sit exquirere, & quid rectũ in oratione prauum'ue, quid consentiens, quid repugnans? Præterea quis nescit, oratores probabilia maiori ex parte tantum sequi? quemadmodum ostendit Aristoteles primo libro Rhetoricorum ad Theodectẽ, cuius hæc sunt uerba: ἔστι δ' ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν: Rhetorica, inquit, facultas est spectandi quid in quaq; re probabile sit. & Cicero, qui rhetoricæ finẽ esse dixit, persuadere dictione. Philosophi uerò (quod in Posterioribus docet Aristoteles) differẽdi rationem suam ducunt ex proprijs, ueris, necessarijs, medio caren-

 tibus,

tibus, et causis conclusionis: quoniam (ut in Oratore ad Brutũ ait Cicero) docendi causa, nõ capiendi loquũtur. Quanto igitur propria communibus, uera falsis, necessaria probabilibus, cõsectaria captionibus præstant: tanto philosophi sunt oratoribus in disserendi ratione superiores. Iam uerò materia, quam tractat, & in qua uersatur orator, nihil aliud est, quàm hominum actiones, & opiniones, & iudicia. unde tria causarum genera finxerunt: quorum primũ, quod ad actiones attinet, demonstratiuum: alterũ, quod ad opiniones, deliberatiuum: tertium, quod ad iudicia, iudiciale nominarunt. quibus in rebus omnibus casus & fortuna dominatur: quo fit, ut de ijs nulla prorsus haberi scientia posit. At uerò philosophus rerum causas, & immutabilem atq; æternam seriem, ordinemq; naturæ perscrutatur, & ea quæ à casus fortunæq; temeritate penitus disiuncta sunt, quæq; perpetua sunt, atq; constantia, neq; ullo modo aliter sese habere possunt: quorum omnium rationes ita disserendo explicat, ut non homo loqui, sed ueritas ipsa uerba facere uideatur. Ex quo perspicuum est, quantùm oratori philosophus antecellat. Quid, si ad personarum contentionem ueniamus? uelim enim mihi dicas, utrum acutiorem in disserẽdo putes, Isocratem'ne, an Platonẽ? Demosthenẽ, an Aristotelẽ? Lysiã, an Chrysippũ? Equidẽ non arbitror te adeò stupidũ esse, ut hos oratores illis philosophis in disserẽdo præponendos esse censeas. Fuerit enim Isocrates in dicẽdo iucũdissimus, fuerit in Demosthene mirifica uis orationis, fuerit in Lysia magna dicendi subtilitas: nõ certè tamẽ quisquã sanę mentis, Isocratẽ Platoni, Demosthenem Aristoteli, Lysiam Chrysippo, in disserendi subtilitate prætulerit: cum pręsertim de rebus omnibus diuinis atq; humanis, & de ijs

quæ

quæ longè ab imperitorũ intelligẽtia sensuq; disiuncta sunt, philosophi loquãtur, oratores uerò particulã tantum quandã philosophiæ dialecticæq; complectantur. Est enim oratoria facultas (ut in primo de Inuentione Cicero docet) ciuilis scientiæ pars. quod ab Aristotele, primo Ethicorum sumptum est. quin idem Aristoteles Rhetoricorũ ad Theodectẽ libro primo, hanc artificiosam eloquentiã, quam rhetoricã uocant, quasi propaginem quandã dialecticæ, & ciuilis scientię dicit esse. cuius uerba libet adscribere: ὥς τι συμβαίνῃ τὴν ῥητορικὴν οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, ἣν δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικήν. Neque ita multo pòst ait: ἔστι γὰρ μόριον τῆς διαλεκτικῆς, καὶ ὁμοίωμα. Est, inquit, particula Dialecticæ, & imago quædam. Rursus alibi: ἀληθές ἐστιν, ὅτι ἡ ῥητορικὴ σύγκειται μὲν ἔκ τε τῆς ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη. Quibus ex locis intelligi facilè potest, quanto sint oratores in differendi ratione philosophis inferiores: cum oratores partem tantum dialecticæ & ciuilis scientiæ cõplectantur, atq; his finibus omnes disputationes suas terminẽt: philosophi uerò, & de omni dialectica, & de omni ciuili sciẽtia, & de omni naturæ obscuritate differant: eamq; totam artem amplectãtur, quam ipse Cicero omniũ artium maximã appellat, hoc est dialecticam. de qua ita loquitur in Bruto, ubi de Seruio Sulpitio uerba facit: Hic enim attulit hanc artem, omnium artium maximam, quasi lucem ad ea quæ confuse ab alijs aut respondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi uideris dicere, inquit. Rectè, inquam, intelligis. hæc Cicero. Quare, ut hunc locum aliquando concludam: si ex Ciceronis sententia, dialectica est omnium artium maxima, & eam sibi philosophi totam uendicant, quoniam est totius philosophiæ

quasi

quasi clauis quædam, oratores autem eius particulam tantum (ut ex Aristotele probauimus) assumunt: cui dubium esse potest, quin philosophis oratores in disserendi ratione longe sint inferiores? cum præsertim philosophi popularem istam eloquentiam non desiderent, & potius contemnant: oratores uerò, sine dialecticæ & philosophiæ cognitione aliqua, quod in sequenti capite demonstrabimus, fines suos tueri nullo modo possint. In hanc sententiam plurima alia dici possent: sed in re tam perspicua & aperta, quæ hactenus à me dicta sunt, nimis etiam mihi multa uidentur.

Dialecticam esse oratori necessariam, quod nimis imperitè Nizolius negat: atq; ibidem Ciceronis locus illustratus, quem Nizolius pessimè interpretatus fuerat. Caput VIII.

POterat huic questioni Cicero satisfecisse uideri, qui multis in locis apertè fatetur oratori necessariam esse dialecticam: nisi temeritas atque importunitas tua, etiam quæ perspicua sunt, & certa, uocaret in dubiũ. nunquam tamen isto odio tuo facies, quin ipsa quodammodo per se ueritas elucescat. Ac mihi quidem libet hoc loco quædam argumenta mea, atq; adeò uerba ipsa ponere, quibus in prefatione Partitionũ Ciceronis usus sum, cum in illud opus commentaria scriberem: quoniam ad hãc quæstionẽ soluendã mirè faciunt. Sic igitur ibi scripsi: Nam cum omnes artes quæ ad humanitatem pertinent, auctore magistro Cicerone, quoddam habeant commune uinculum, & quasi cognatione quadam inter se contineantur: tũ illæ præcipuè duæ quæ politam & probabilem orationem efficere docent, ita coniunctæ sunt & connexæ inter se, ut uix alteram queas ab altera separare. qua de causa factum est, ut grauissimi auctores.

ctores forma tantùm, atq; (ut ita dicam) habitu differre à dialectica rhetoricã existimarint. Nam Zeno ille, qui inuentor & princeps Stoicorum fuit (quemadmodum apud Ciceronem & in Oratore, & in secundo de Finibus legimus) manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. nam cum compresserat digitos, pugnumq; fecerat, dialecticam aiebat eiusmodi esse: cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat. atq; etiam ante hũc Aristoteles, principio artis Rhetoricę dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticæ: ut hoc uidelicet differant inter se, quòd hæc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Itaque etiam ipse Cicero, dialecticam contractam quandam eloquentiam appellat, & Alexander Aphrodisiensis eo dialecticam à rhetorica differre tradit, quòd dialectica nõ utatur oratione copiosa, lateq; diffusa, quemadmodum rhetorica solet. Cum igitur in eadem materia uersetur dialecticus & orator, hoc est, in probabilibus argumẽtis, neq; subiecto, sed ratione tantùm differant, priusq; in oratione quæratur probabilitas, quàm ornatus: sequitur, ut artẽ oratoriam consequi nemo posit, nisi qui dialecticas etiam rationes perceperit. addit enim oratoria facultas dialecticis inuentionibus uerborum splendorem & ornamentum, quo fit ut rhetoricæ quasi fundamentum quoddam dialectica substruatur. Quod primo Rhetoricorum uidit Aristoteles, cum rhetoricam dixit ex dialectica, & ex ea philosophiæ parte quæ ad mores attinet, esse compositam. Cum enim (ut Cicero scribit) omnis ratio disserẽdi duas habeat partes, unã inueniendi, alteram iudicandi: prior illa pars quę ad inueniendum pertinet, dialectico & oratori tota communis est: alterã

uerò quæ iudicandi uias aperit, maiori etiam ex parte ſumit orator. Nam cum eius tria ſint officia, diuidere, definire, argumentari, quis primò non intelligit diuidendi rationem eſſe oratori neceſſariam? neq; enim aliter rectè diſtinguere ſciet, quid ſibi cum aduerſario conueniat, quid in controuerſia ſit, quid prius, quid poſterius dicere oporteat, qua ratione, quo'ue ordine diſponenda ſint argumenta, quo modo cauſarum genera conſtitutionesq; inter ſe differant: et cum, Ariſtotele teſte, prima uirtus orationis ſit ſplendor & perſpicuitas, nullo modo poteſt orator ſuam orationē illuſtrare, niſi diuidendi rationem ita teneat, ut quodam ordine res ſingulas aptè diſtribuat, & nihil confuſe, nihil perturbatè dicat. Quin Hermogenes rhetor inſignis, initio ſui operis diuiſionem non paruam rhetoricæ partem, ſed potius maximam dicit eſſe. Quare præclarum hoc atq; aureum Ciceronis opus, quod interpretaturi ſumus, ab hoc primo dialectici officio inſcriptionem habet: ut ideò Partitiones dictæ uideri poſsint, quòd diuidendi atque partiendi rationē orator omninò ſcire debeat. Quid de hac ratione definiendi cōmemorem? quam licet orator nō ita curioſe, quemadmodū dialecticus, ſequátur: ea tamē ſolet uti frequētiſsimè, quotieſcunq; rei alicuius uim atq; naturā explicare cōtendit. quin totas aliquādo cauſas in definiendo cōſumit: unde etiā controuerſiæ quoddam genus, à definiendi ratione, Definitiuum appellat. Iam uerò tota argumētandi ratio niſi oratori notiſsima fuerit, quid eſt in quo magnus eſſe poſſit? aut quam uim habere poteſt oratio, ſine argumētis? fieri quidē poteſt, ut aliquis naturę ipſius inſtinctu probabilē aliquā etiā ſine dialecticę cognitione orationem habeat: quoniā hęc nobis ſciētia (quod ait Ariſtoteles)

quo-

quodãmodo naturalis eſt. Sed tamẽ quoniã (ut ait Cice ro) certior dux eſt ars, quàm natura: notã illi dialecticã eſſe oportet, quicũq; certa ratione probabiliter aliquid dicere cõcupiſcit: cum præſertim tota ſpes uincẽdi, ratioq; perſuadẽdi, poſita ſit in cõfirmatione, & cõfutatio ne, quę certè ſine argumentatione cõſtare nullo modo poteſt. At uerò dialecticorũ eſt ea reperire, quę audientiũ approbationẽ moueãt. & quid uerũ, quid falſum ſit, quid cõſequens, quid repugnãs in oratione doceant. nã rhetorũ nullũ aliud eſt officiũ propriũ ac ſeparatũ, niſi, quę quodãmodo rudia ſunt & inculta, ueſtire, atq; exor nare dicẽdo. quare quęcunq; ad inueniẽdi & argumen tandi rationẽ attinẽt, ea omnia rhetori ſunt cũ dialectico cõmunia, uel potius ea maiori ex parte rhetor à diale ctico mutuat̃. Hæc ibi. ſed ad diſputationẽ noſtrã redea mus. Prius igitur tuis abſurdiſsimis argumẽtis reſpon debo, deinde rationib. & auctoritatib. id quod propoſui, demõſtrabo. Cum enim uideres te nugatoriã & ina nem, penitusq; falſam cauſam ſuſcepiſſe, multas nobis nouas & ante hunc diẽ inauditas dialecticas cõfinxiſti, ut anguillę more, ſi fieri põt, elabaris. ſed (mihi crede) arctius à me tenẽris, quàm ut ſine maxima ignominia poſsis effugere. Petis enim à me, cum oratori dialecticã eſſe neceſſariã dicã, qua de dialectica intelligã? utrũ de Platonica, an de Ariſtotelica? perinde quaſi diuerſę ſint artes ſubtiliter diſſerendi, ab his philoſophis traditæ: ac nõ Ariſtoteles ipſe dialecticã à Platone quidẽ cognitã & tractatã, ſed non ad artem reductam, perfecerit. Dico igitur, me de uera dialectica intelligere: hoc eſt, de illa ſcientia, quæ (quod ait in Oratore Cicero) docet uim, naturã, genera uerborũ et ſimpliciũ & copulatorũ, quot modis quidq; dicatur, qua ratione, uerum falſum'ne ſit,

iudicetur, quid efficiatur è quoque, quod cuique consequens sit, quodq́ contrarium: cumq́ ambiguè multa dicantur, quo modo quidq́ eorum diuidi, explanariq́ oporteat. Hæc (inquit Cicero) tenenda sunt oratori, sæpe enim occurrũt. sed quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. Hanc ego scientiam, ex Ciceronis sententia, dico oratori esse necessariam: siue illa Platonica sit, siue Aristotelica, siue Stoica, siue aliorum quorundam philosophorum. nihil enim hoc ad propositum nostrum facit. Verùm, ais, hæc est Platonis & Aristotelis oratorum dialectica, non philosophorum. Imò uerò totius erroris tui causa hæc est, quòd non aduertisti, ubiq; à Cicerone duas has prę claras scientias ita distingui & separari, ut alia sit dialectica quę contractius loquatur, alia uis oratoria quæ latius disserat: & si quam attribuit philosophis eloquentiam, ut Platoni, Xenophonti, Aristoteli, Theophrasto, non id propter eorum dialecticam facere: sed quia studium etiam rhetoricæ, quod superius docuimus, complexi sunt. Quòd autem dialecticam hanc ueram siue Platonicam, siue Aristotelicam à rhetorica distinguat Cicero, multis in locis uideri potest. ut in Partitionibus. Sunt autem aliæ quasi ministræ comitesq́ sapientiæ: quarum altera quæ sit in disputando uera atq; falsa, quibusq́ positis, quid sequatur, distinguit, & iudicat, quæ uirtus omnis in ratione scientiaq́ disputandi sita est: altera autẽ oratoria. nihil enim aliud est eloquentia, quàm copiose loquens sapientia: quę ex eodem hausta genere, quo illa quæ in disputando, uberior est atq; latior, & ad motus animorum, uulgiq́ sensus accommodatior. In Academicis quęstionibus: Pòst argumentis, & quasi rerum notis utebantur ad proban

dum,

dum, & ad concludendum id quod explanari uolebāt: in qua tradebatur omnis dialectica disciplina, id est, orationis ratione conclusæ: huic quasi ex altera parte, oratoria uis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuę, ad persuadendum accommodatæ. In Oratore: Atq; etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricæ dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticæ: ut hoc uidelicet differant inter se, quòd hæc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Clarissimè uerò & apertissimè primo de Legibus: Atq; hæc omnia quasi sepimento aliquo uallabit, differendi ratione, ueri & falsi iudicio, scientia, & arte quadam intelligendi quid quámq; rem sequatur, & quid sit cuiq; contrarium: cumq; se ad ciuilem societatem natum senserit, non solum illa subtili disputatione sibi utendum putabit, sed etiam fusa latius perpetua oratione, qua regat populos. & quæ sequuntur. Vides (ut opinor) ab oratoria facultate dialecticam separari: ut non ideò laudentur in differendi ratione, subtiliq; disputatione Plato & Aristoteles, quia fuerint oratores, sed quia dialecticam perceperāt. At (inquis) Aristoteles, teste Cicerone, diuersis temporibus duas diuersas docuit dialecticas. At ego dico, te hoc loco plusquam aniliter delirare, magnamq; Ciceroni iniuriam facere, qui quod absurdissimum est, uel ipso auditu, perspicueq; falsum illi attribuas. Dico etiam, te Ciceronis sensum non intelligere, neq; satis quid dicas aduertere. Quid ais? duas dialecticas docuit Aristoteles? quas tandem? alteram, quæ inanem sermonis elegantiam continebat: alteram, quæ ad rhetorū morem ornatè & copiose in utramq; partem differebat. Prò deûm atq; hominum fidem, quantam hoc loco præ te fers ignorantiam? quantam mentis

cæcitatẽ? quantas ingenij tenebras? quos risus putas te doctis hominib. excitasse, tua ista tã absurda, tã rudi, tã ridicula, tã deniq; falsa dialecticarũ Aristotelis diuisione? Vidi equidẽ, nec sine magna delectatione uidi, per quã suauiter ridentes duos eruditissimos homines, mihiq; magna necessitudine coniunctos, Octauianũ Ferrariũ, & Annibalẽ Cruceiũ, cũ omnib. maledictis inquinatã, & fœtidã illã Antapologiã tuam legendo percurrerẽt, & ad hunc locũ peruenissent. Statim enim ridens Octauianus exclamauit: Prò summe Iuppiter, quid hoc hominis est? uel potius nõ hominis, sed mõstri? hiccine est ille Nizolius, tam audax, tã impudẽs, tã temerarius, qui nostri tẽporis philosophos & dialecticos tantopere uituperat? qui nos garrulos & ineptos appellat? qui ut ex hoc loco perspicuè uideri potest, tãtis ignorãtiæ tenebris opprimit̃, ut nesciat adhuc quid dialectica sit? quã sine ulla ratione, sine iudicio insectat̃? Quæ cum dixisset, risum in indignationẽ uertit, & è manib. uolumẽ illud tuũ proiecit, neq; ultrà quicquã legere uoluit. quin etiã multis uerbis me hortatus est, ne tam ineptis tamq; futilibus rationib. tuis quicquã respondere͂, quæ sua spõte doctis hominib. imperitiã tuã ostendant. Quod ego certè fecissem, si putassem fore, ut in eruditorũ tantũ manus ineptissimus ille liber tuus perueniret, qui sine dubitatione tuã insulsitatẽ omnes ridebũt: & tãto libẽtius fecissem, quoniã eodẽ ferè tẽpore literas à SEBASTIANO CORRADO, uiro doctissimo, & mei amantissimo accepi, quibus me hortabat̃, ut tibi parcerẽ: credo, quia uir acutus uidebat, quãtus mihi patêret in te dicẽdi cãpus, & te amicũ suũ dolebat omnib. à me deridendum propinari. Verùm quia tã temerè uolumẽ omniũ disciplinarũ inanẽ, & omniũ cõtumeliarũ plenũ edidisti, q̃d

omnes

omnes & periti & imperiti legere possunt: nolui pati, ut nugationes tuę falsæ quemquã paulo indoctiorẽ decipiãt. Dico igĩt te hoc loco adeò rudẽ & hebetẽ esse, ut facilè quodlibet Arcadicum germẽ exuperes: qui duas eas esse dialecticas Aristotelis credas, quarũ neutra est dialectica: & ea prorsus confundas, quę distinguenda sunt. Sed uideamus tandẽ istas duas dialecticas. Priorẽ eã esse dicis, quam docebat Aristoteles, cum disputationes suas à causis forensib. & ciuilib. ad inanẽ sermonis elegantiã trãstulisset. O' nouã & inusitatã dialecticam, quę tantùm inanẽ sermonis elegantiã sequatẽ. Vbi hoc, quęso te, somniasti, dialecticam sequi sermonis elegantiã? quis hoc tradit auctor? quis te hoc docuit? quis unquam antehac audiuit? Imò uel puero perspicuum est, omnes qui dialecticorũ more disputãt, omnẽ penè sermonis elegãtiã respuere, & presse, contractè, breuiterq; loqui, neque uerborum elegantiam, sed rationum momẽta cõsiderare. Tu uerò uis, Aristotelis dialecticã inanẽ tantũ sermonis elegantiã quęrere. O' crassum hominẽ. nõ enim facere possum, quin sępius exclamẽ, cũ ita te uideã auctorũ sensa peruertere. Nõ ista est ars dialectica, uetule mi disertissime atq; acutissime, neq; subtilis disserẽdi ratio, quę sermonis inanem, hoc est solã elegantiã quęrit: uerũ rhetoricę pars, quæ Elocutio dicitẽ, quam in disputationib. suis pomeridianis docebat Aristoteles: & nihil de causis forensibus agebat, prius q̃ Isocratis gloria moueretẽ. Quòd autẽ adiũgis, istã, quã finxisti, dialecticã ad morẽ philosophorũ tenuiter & ieiunè disserere: mirũ q̃ pueriliter nugeris. Quid ais mirifice disputator, & nouarũ dialecticarũ excogitator? ista tua dialectica tantum elegantiam sermonis sequitur, & ieiunè tenuiterq; disserit? qua ratione hæc simul stare possunt? Euigila obsecro, & cogitationem hominis ad

punctum

punctum temporis suscipe. Potest'ne sciētia aliqua tantùm sermonis elegantiā sequi, & tenuiter ac ieiunè disserere? Sit hoc fortasse in homine uitiū: in scientia quomodo esse potest? Hæc, si nescis, à te distinguenda sunt, quæ tu idem ex diuersis locis sumpta, tam imperitè copulasti. Cæteri philosophi tenuiter & ieiunè disserebāt, non Aristoteles. hic enim discipulos suos in thesi, hoc est in quęstione infinita, uel (ut Cicero appellat) proposito, uel consultatione: non ad cæterorum philosophorum motem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorū, ut ornatius & uberius dicerent, exercebat. Hæc igitur utraq; exercitatio, quas tu dialecticas appellas, ad rhetoricam artem pertinet. Nam primò non causas forenses in pomeridianis quæstionibus tractare docebat Aristoteles, sed tantùm sermonis elegantiam. postea commotus Isocratis gloria, cœpit etiam hanc rhetoricæ partem quæ causas forenses tractat, aggredi. Tu uerò uis hanc alteram esse dialecticam, quam doceret Aristoteles, cum ad copiam rhetorum copiose & ornatè de omnibus rebus in contrarias partes disserendi præcepta dabat. Certè nescio quæ te laruæ exagitent, ut tam insano more contra omnium auctorum sentētiam garrias. Quis enim unquam dixit, dialecticos copiose & ornatè de omnibus rebus dicere? Quis non intelligit, copiā & ornatum non dialecticorum, sed rhetorum esse proprium? Quis non uidet, hoc quod de Aristotele dictū est, à Cicerone non ad eius dialecticas disputationes, quibus matutinis temporibus utebatur, sed ad rhetoricas & oratorias pertinere, quas pomeridianis horis exercebat? Iam tandem igitur desine blaterare, cum tuam imperitiam apertè uideas: & fatere, te Amafanij & Rabirij similē esse, qui nihil definias, nihil distinguas, nihil

aptè concludas, nullam deniq; nec disserendi, nec dicendi artem habeas. Quàm enim acutè colligis, dialecticam oratori non esse necessariam? quia si necessaria est, inquis, necesse est ut ei adferat aliquid, quod pertineat uel ad inuentionem, uel ad dispositionem, uel ad elocutionem, uel ad memoriam, uel ad pronunciationẽ. sed nihil his in rebus adfert oratori, ergo nón est ei necessaria. Verùm ego totam inuentionem, uel saltem maiorem eius partem dialecticæ attribuendam esse affirmo. Cum enim (ut suprà dixi) dialectica duas habeat partes, unam inueniendi, alteram iudicandi: ars inueniendi, quæ Topice dicitur, & locos ac sedes argumentorũ tradit, tota est oratori necessaria: quod satis ostendit Cicero, cum in Topicis hanc partem diligenter persecutus sit, & secundo de Oratore breuiter attigerit, sicut etiam in Partitionibus. At dices fortasse, topicen non esse dialecticam: quia Cicero ait, Stoicos in altera tantum disserendi ratione elaborasse. Iudicandi enim uias, inquit, diligenter persecuti sunt, eam scientiam quam dialecticen appellant. Verùm hanc fugam tibi præripuit Aristoteles ipse, qui primo Topicorum hãc artem inueniendi dialecticam appellat, & ex argumentis qui ducuntur è locis, dialecticum syllogismum conformari tradit. Neq; sanè Cicero negat, topicen esse dialecticæ partem: licet Stoici tantùm eam quæ iudicandi uias docet, dialecticam appellarint: quia scilicet artem inueniendi dereliquerant. Quin hanc dubitationem uir eruditissimus & ingeniosissimus, Rodolphus Agricola penitus sustulit: qui tres illos suos uerè aureos de Inuẽtione libros, quibus omnem ferè artem oratoriam doctè & acutè persecutus est, de Inuentione dialectica inscripsit. Sic enim epistolam illi operi præfixam incepit: Ab-

ſolui tandem libros, quos de Inuentione dialectica tuo ſuaſu rogatuq; aggreſſus ſum ſcribere. Quin ipſe Cicero multis in locis dialecticam diſſerẽdi rationem interpretatur: ut primo de Legibus, in fine ſecundi de Oratore, quinto Tuſcul. ubi ſunt hæc uerba: Sequitur tertia, quæ per omnes partes ſapiẽtiæ manat, & funditur, quæ rem definit, genera diſpartit, ſequentia adiungit, perfecta concludit, uera & falſa dijudicat, differendi ratio & ſcientia. Quare ſi dialectica eſt differendi ratio (ut eam Cicero interpretatur) & diſſerẽdi ratio, duas habet partes, unam inueniendi quæ dicitur Topice, alteram iudicandi, quam Stoici dialecticen uocant: non dubiũ eſt, quin etiam ex Ciceronis ſententia, topice ſit dialecticæ pars: quæ quàm ſit oratori neceſſaria, nihil attinet diſputare. Quid igitur ualet illa tua tam puerilis enumeratio? Inuentio in ſex partes diuiditur: exordium, narrationem, diuiſionem, confirmationem, confutationem, conclusionem. Sed de exordio & narratione nihil dialectici diſputant, de reliquis partibus ſatis copioſe rhetores: ergo dialectica nõ indigent. Tu uerò Nizoli tam acutè omnia concludis, ut etiam tonſores & lippi concluſiones tuas meritò ridere poſsint. Dic enim mihi, quæ'nã orationis pars eſt maximè neceſſaria? an nõ illa qua fides fit, quam unã putat Ariſtoteles neceſſariã eſſe, reliquas autẽ tantũ ad animorũ motus adhiberi? Quibus autem rebus fides fit? an nõ argumentis? certè hoc negare non potes. ſed unde deducuntur argumenta? non'ne ex locis qui traduntur à dialectica? Quoquo igitur te uertas, tibi fateri neceſſe erit id, quod nimis imperitè negaſti, omnino dialecticam eſſe oratori neceſſariã. Quum enim oratoriam facultatem ſine dialectica dicis perfectam eſſe poſſe, idem eſt ac ſi diceres, corpus animo

mo spoliatum, sensus omnes integros cõseruare posse: aut, orbem terrarum sine Solis auxilio tantam rerum uarietatem posse producere. Nam quibus ex rebus oratorum facultas uniuersa consistit? an non ex ciuili scientia atq; dialectica, quemadmodum ex Aristotelis sententia superiori capite probauimus? Quid autem aliud est ciuilis scientia, quàm corpus quoddam, & quasi materia, quam tractet orator? dialectica uerò, tanquam anima, & quasi forma, quæ materiam illam quodammodo perficiat, & illustret? Cur enim in Bruto Cicero dialecticam quasi lucem appellat, nisi quia hæc ars est, quę uerum à falso distinguere docet? quæ nostrum acuit ingenium? quæ uim ac neruos adfert orationi? quæ nihil perturbatè, nihil confuse, nihil ambiguè dici patitur: sed omnia ordinata, distincta, plana facit? Quis autẽ adeò stupidus est, qui putet aliquid integrum ac perfectum esse posse, cui pars una principalis ac maxima desit? ut si Solis (exẽpli gratia) colosso, qui fuit apud Rhodios, caput detrahas, & eum deinde tamen putes esse perfectum: ita cum rhetoricæ pars quædam magna & ampla sit dialectica, non te insanum, atq; omnis penitus rationis expertem existimare debemus, qui dicas sine dialectica posse perfectam esse rhetoricam? An non intelligis, cum oratori dialecticam adimis, idem te facere, ac si homini rationem adimeres? Quid enim esset homo sine ratione? mihi sanè nihil à bellua differre uideretur. Ita quid orator sine diligenti illa differendi ratione, quã dialecticam uocant? an non apud intelligentes & eruditos irrisione dignus habebitur? qui (quod ait in Oratore ad Brutum Cicero) neq; genus & speciem cuiusq; rei cernere, neq; eam definiendo explicare, nec tribuere in partes, nec iudicare quæ uera, quæ falsa sint, neque

cernere consequentia, repugnantia uidere, ambigua distinguere sciat? Qualis tandem iste tuus orator erit, qui harum rerum scientia careat? an hæc in præceptis rhetoricis posita esse dices? ubi, aut apud quem? Non'ne uides hæc esse dialecticorũ officia? qui genera & species rerũ inuestigant, differẽtias & proprietates definiendo explicãt: quæ cõmunia sunt, in partes distribuunt: quid uerũ, quid falsum sit, iudicando anquirunt: quid cuiq; consequens sit, facilè cernunt: quæ contraria sunt, ac repugnantia, uident: si qua sunt ambigua, distinguendo explanant. Sunt'ne hæc dialecticæ propria officia, an non sunt? si non sunt, dic ergo tu cuius scientiæ sint? aut cur hæc soli dialectici tractent? nam neq; rhetores, neq; ulli alij artifices, præter dialecticos, harum rerum præcepta tradunt. Si sunt, cur non tandem ab ista tam stolida pertinacia recedis, & dialecticam oratori necessariã fateris? præsertim cum ipse Cicero non uno hoc in loco clarissima uoce testetur, ut in Bruto: Eram cum Stoico Diodoro, qui cum habitauisset apud me, cumq; uixisset, nuper est domi meæ mortuus: à quo cùm in alijs rebus, tũ studiosissimè in dialectica exercebar: quæ quasi contracta & astricta eloquentia putanda est, sine qua etiam tu Brute iudicasti te illam iustam eloquentiam, quam dialecticam dilatatã esse putant, consequi non posse. Satis'ne hoc loco declarat Cicero, nullũ sine dialectica oratorem esse posse? Quid in Oratore ad Brutum? an non eius hæc uerba sunt? Esse igitur perfectè eloquentis puto, non eam solum facultatem habere, quæ sit eius propria, fuse lateq; dicendi: sed etiam uicinam eius atq; finitimam dialecticorum scientiam assumere. Quanquam aliud uidetur oratio esse, aliud disputatio: nec idem loqui esse, quod dicere: attamẽ utrumq;

in dis-

in differendo est. disputandi ratio & loquendi dialecticorum sit, oratorum autem dicendi & ornandi. Atque ibi multa de dialectica. quem locum tandem ita concludit: Hęc tenēda sunt oratori. sæpe enim occurrunt. sed quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. Potest'ne apertius Cicero contra te clamare? potest'ne magis inanes tuas nugas refutare? Nam tu quidem Epicuri similis es, de quo ita Cicero secundo de Finibus: Sed dum dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quæ una continet omnem & perspiciendi quid in quaque re sit, scientiam, & iudicandi quale quicque sit, & ratione ac uia disputandi, ruit in dicendo. Sic tu Nizoli, dum hanc artem nostram, omnium artium (ut ait Cicero) maximam, quia propter ingenij tui tarditatem eam non potes intelligere, contemnis: ruis in dicendo, tuamque omnibus infantiam prodis.

Nugari Nizolium, qui dialecticam dicat ideò non esse disserendi artem, quia disertos homines non efficiat. Caput VIIII.

NAm illud etiam plusquam ineptum est ac puerile, quòd ais dialecticam ideo non esse bene disserendi artem, quia non efficit homines disertos: perinde quasi nulli alij sint qui bene disserant, præter eos qui populariter ac uulgò diserti uocantur: & quasi non longè subtilius & acutius dialectici disserere soleant, quàm diserti. Qui sunt enim apud Latinos diserti, aut qui hoc potissimum nomine decorantur? an non ij qui apud imperitam multitudinem ingeniose & copiose uerba facere uidentur? qui uerborū uolubilitatem & uarietatē sectantur? qui (quod ait M. Antonius) ex communi quadam hominum opinione dilucidè & acutè disserunt?

quorum è numero se multos uidisse testatur idem Antonius, cum interim eloquentẽ uidisset neminem? Ego certè uideo, nomen hoc disertorum, apud Latinos non magno in precio aut honore fuisse: quoniam quicunque aliquo modo politius & copiosius, quàm cæteri, uerba faciunt, etiam si sint imperiti, diserti uocantur. ut Cicero ad Atticum libro decimo: Celer tuus, disertus magis est, quàm sapiens. Et in Oratore ad Brutum, fatetur disertis omnem elegantem doctrinam defuisse. Quid primo de oratore? an non disertos ostendit eos dici, qui multitudinem imperitã decipiant? cum ait: Denique ut prudentibus disertè, stultis etiam uerè dicere uideare. Quid? quòd etiam diserta negligentia uocatur à Cicerone, primo de Diuinatione, cum ait: Sed difficultas laborque discendi, disertam negligentiam reddidit. Quid? quòd diserti uocantur etiam, qui uino madentes copiose loquuntur? ut in oratione pro Cælio: Quàm uolent, in conuiuijs faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad uinum diserti sint. Magnum uerò, te auctore, dialecticæ peccatum est, quæ id homini præstare non possit, quod quatuor uini quincunces facilè præstare solent. nam (ut ait Horatius) Fœcundi calices quem non fecere disertum? Adeo uerò nomen hoc apud Latinos uulgare est, ut etiam pueri & scurræ diserti nominentur. ut Catullus ait:

Est enim lepôrum Disertus puer, ac facetiarum.

Sed ut hæc relinquamus, & honorificum esse disertorum nomen concedamus: dico tamen non sequi, ut si dialectica sit ars disserendi, disertum idcirco debeat hominem efficere: etiam si grammatici uelint à disserendo disertum esse deductum. quod an uerum sit, ipsi uiderint. nam à natiui certè natura degenerat, cũ enim aliud

bene disserere, aliud disertum esse: fieri potest, ut aliquis bene disserat, & tamen disertus non sit: quod quomodo fieri posit, aperiemus. Disserere enim apud Latinos duobus modis accipitur. aliquando idem est quod disputare, ut tertio de Natura deorum: Quæ disputaui, disserere malui, quàm iudicare. Secundo de Oratore: Ex quo mira quædã se audiuisse dicebat, te, quem ego toties omni ratione tentans, ad disputandum elicere nõ potuissem, permulta de eloquentia cum Antonio disseruisse, & tanquam in schola propè ad Græcorũ morem disputasse. Primo de oratore: Quibus ego, ut de his rebus omnibus in angulis, consumendi ocij causa, disserant, cum concessero: illud tamen oratori tribuam, & dabo, ut eadem de quibus illi tenui quodam & exiguo sermone disputant, hic omni cum graui tate, tum etiam iucunditate explicet. Sed loci sunt infiniti, quibus ostendit Cicero, idem prorsus esse disserere, quod disputare. Aliquando uerò disserere idem est, quod populariter, & ad uulgi opinionem accommodatè dicere: unde diserti sunt appellati. ut ad Casium Cicero: Quod autem & in Senatu pluribus uerbis disserui, & dixi in concione, in eo uelim fidem meam liberes. Et pro M. Cælio: Multa de incontinentia intemperantiaq; disseruit. Tale est illud pro Flacco: Sed de hoc teste disseruit & subtiliter & copiose, Q. Hortensius. Et illud de Amicitia: Audite uerò uiri optimi, ea quæ sæpissimè inter me & Scipionem de amicitia disserebantur. Ita dicimus, apud populum de aliqua re disserere, in concione disserere: quod aliquando etiam disputare communiter dicitur. quamuis disputare propriè dialecticorum sit, ut in Oratore uult Cicero: disserere uerò (ut docui) & ad dialecticos, & ad philosophos, & ad oratores, & deniq; ad

omnes

omnes in dicendo copiosos homines pertineat. Quare disertũ eũ sanè uocemus, qui ex hominũ opinione possit acutè disserere: quod oratorũ esse propriũ concedo. Quid deinde? fiet'ne, ut dialectica non sit bene disserendi scientia, quia disertos homines non efficiat? minimè. Nam disertos neq; dialectica, neq; præcepta rhetorica faciunt, sed primùm natura, deinde usus & exercitatio: non autẽ ulla per se scientia. quamuis enim omnia quis præcepta didicerit, tamen ars (ut ait Cornificius) sine assiduitate dicendi non multum iuuat. Cicero in procemio librorum de Oratore: Ad eam, inquit, doctrinam quam suo quisq; studio consecutus esset, adiungeretur usus frequens, qui omniũ magistrorum pręcepta superaret. Sic etiam in oratione pro Cornelio Balbo: Assiduus usus uni rei deditus, & ingenium & artem sæpe uincit. Quin tantum abest, ut præcepta rhetorica semper iuuent, ut etiam interdum magnopere noceãt, cum quis ea tanquam leges sequitur, & se satis eorum cognitione putat instructũ ad eloquentiã. Vnde (quod ait Quintilianus) existimant accidisse, ut qui diligentissimi artium scriptores extiterunt, ab eloquentia longissimè fuerint. Dicamus igitur, isto tuo exemplo, rhetoricã non esse bene disserendi scientiam: quoniam qui toto die uersantur in rhetoricis præceptis, aut nulli, aut pauci bene dicunt, nisi qui arti longum usum & exercitationem adiungunt. Verùm oratori (quod ait Cicero) minimum est de arte loqui, multo maximũ ex arte dicere. Ergo (ut ad rem redeã) habet dialectica disserendi pręcepta, quæ sunt & ad philosophiã & ad oratoriã facultatẽ, & ad omne sermonis genus utilissima: sed quæ tamẽ ipsa per sese parum prosint, nisi quis ea se exercendo ad usum deducat. At hæc exercitatio duplex esse potest.

aut enim, cognitis dialecticæ præceptis, in subtiliter, do
cte, & erudite disputando nos exercemus: & uerborũ
atq; elegantiæ cura neglecta, res tantum ipsas, & ratio-
num momenta ponderamus: atq; ita fit, ut oratio no-
stra minime diserta uideatur. aut illa dialecticæ præce-
pta trahimus in usum oratorium, & copiosius atq; orna
tius tractamus, & deniq; ad uulgi sensus popularemq;
cognitionem accommodamus: atq; hoc modo diserti
euadimus. Hęc igitur disertorum appellatio tota ab ex-
ercitatione atq; usu pendet, non autem ab ipsa differen-
di arte. Quo fit, ut argumentum illud tuum nullius sit
ponderis: Dialectica non facit homines disertos: ergo
non est ars bene differendi. quoniam (ut dixi) dialecti-
cis præceptis duobus modis uti possumus: uel contra-
ctius, ad philosophorum morem: uel latius, ad morem
rhetorum, hoc est, adhibitis oratorijs ornamentis. quod
in suis operibus aliquo modo Peripatetici faciebant,
quorum in doctrina atq; præceptis (ut in Bruto ait Ci-
cero) differendi ratio coniungitur cum suauitate dicen-
di, & copia. sunt enim hæ duæ scientiæ quasi sorores &
germanæ, dialectica inquam, & rhetorica. Nam rheto-
rica (ut ait Aristoteles) dialecticæ ex altera parte respõ-
det, ijsdemq; argumentis utitur, quibus dialectica, quo-
niam est eius quasi simulacrum. sed ea latius fundit, &
copiosius explicat. Quòd autem dialectica sit ars bene
differendi, probatur ex multis Ciceronis locis. ut ex ini-
tio Topicorum, ubi docet omnem diligentem differen
di rationem duas habere partes: hoc est, topicen, & quã
dialecticen appellant Stoici. ex primo de Legibus, ubi
clare differendi rationem dialecticam uocat. ex quinto
Tusculanarum, ubi ait: Vera & falsa dijudicat differen-
di ratio, & scientia. ex secundo de Oratore, ubi artẽ be-

ne differēdi, & uera ac falsa diiudicandi uocat eam, quæ uerbo græco dialectica dicitur. ex primo de Oratore, ubi differēdi subtilitatem interpretatur. ex Oratore ad Brutum, ubi non uno in loco, sed pluribus, differendi rationem dialecticam appellat. Sed quid exempla commemoro? cum hoc adeò perspicuum sit, ut non dubitem, quin eruditi omnes tuam impudentiam uehementer admirentur, qui rem tam claram & apertam negare audeas.

Veram dialecticam non à bonis auctoribus uituperari, sed potius uehementer laudari: contrà, quàm sentit Nizo-*lius. Caput* X.

QVid? quòd uniuersam tandē dialecticam improbare audes, & id te auctoritate uetustissimorū & doctissimorum hominum facere dicis? quantę demum improbitatis est? quantæ dementiæ? quanti furoris? ea te sola de causa maximam omnium artium & præclarissimam artem uituperare, quoniam aduersariū tuum in ea tantùm profecisse intelligis, quantum satis sit ad ostendendam & promulgandā omnibus ignorantiam tuam? Mirabar uerò, qui fieri posset, ut tam esses acutus in disputando, tam argutus in distinguendo, tam perspicax in definiendo, tam deniq; constans in cōcludendo: ut modò tecum ipse pugnares, modò omnia confunderes, modò plusquam imperitè uim & naturam uerborū exprimeres, modò fallaciter concluderes, modò sensa auctorum perperam interpretareris. nimirum hoc illud erat, quia dialecticam tam studiose neglexisti: quæ una scientia ueri & falsi disceptatrix est: cuius præsidio si reliquæ disciplinæ priuentur, nullo modo fines suos tueri aut defendere poterunt: quam magistram ac dominam aliarum scientiarum probatissimi auctores putauerūt,

&

& clauem atq; instrumẽtum quoddam ad totius philosophiæ aditum aperiẽdum. Nam Plato de Repub: septimo, scientijs omnibus dialecticam anteponit, & cæteras ei collatas tanquam comites & ministras esse dicit. in Phædro, pluribus uerbis dialecticæ cognitionem extollit, & eruditum dialecticum tanquam deum esse colendum censet. in Philebo, dialecticam esse donum Dei affirmat. in Sophista, dialecticum opus ait, non alteri conuenire, quàm purè legitimeq; philosophanti. Quid Aristoteles primo Topicorum? non'ne dialecticam ait utilem esse ad exercitationem, ad congressum, ad philosophiæ cognitionem, atq; etiam ad prima initia artium omniũ cognoscenda? Quid Iamblichus philosophus ad Dexippum scribens, non'ne tantopere dialecticam admiratur, ut eam non ab alio quàm à Deo repertam fuisse, & hominibus traditã dicat? cuius etiam uerba libet adscribere: θεὸς ἦν ὡς ἀληθῶς, ὁ καταδείξας τὴν διαλεκτικὴν, καὶ καταπέμψας ἀνθρώποις. Quid? idẽ ad Sopatrum scribens, non'ne planè declarat, nullum esse genus artis, nullum scientiæ, cui maximè non sit utilis dialecticæ cognitio? Quid ergo? tam'ne eris audax, ut istũ Aristonem Chium nescio quem, dialecticorum uituperatorem, Platonis, & Aristotelis, & Iamblichi auctoritati anteponas? perinde quasi non sit in cuiusq; potestate, res omnium præclarissimas uituperare: ac non in hoc pleriq; decipiantur, qui propter hominum uitia putent etiam res ipsas improbandas esse. Quot enim fuerunt, qui popularem eloquentiam ideo detestarentur, quoniam (ut ait Scæuola) plura detrimenta publicis rebus, quàm adiumenta per homines eloquentissimos fuerũt importata? Verùm (ut ait Cor. Gallus) nõ res in uitiũ, sed malefacta cadunt, Quãuis igitur aliqui fortasse dia-

lectici reperiātur, qui subtilitates & argutias tantum ad decipiendum uenentur? nō ideo tamen dialectica ipsa, sed illud dialecticorum uitium erit improbandum. At ex Latinis, Cornificij auctoritatem ex libro secundo ad Herennium, in medium adducis, qui præcepta dialecticorum non modò non esse adiumento oratori, sed etiam maximo impedimento existimat, & infantiæ garrulam disciplinam appellat. sit ita sanè. Verum dicas mihi uelim, utrius maiorē auctoritatē esse cēseas, istius'ne Cornificij, an Ciceronis, qui pluribus in locis dialecticam summis in cœlum effert laudibus? certè nisi planè desipis, nequaquam eum Ciceroni anteferre audebis: cum præsertim omnes uideamus, quàm incomposi tè, ac penè dixerim iuueniliter, in illis quatuor suis de Rhetorica libris multa congesserit. in quibus licet aliqua esse non negem, quæ ualde sint adolescentibus utilia: tamen omnis elegantioris doctrinæ se imperitum ostendit, cum multa malè definiat, aliqua non rectè partiatur, plurima parum acutè atq; accuratè tractet. quod sanè meum non est, sed hominum longè doctiorum iudicium. Adde quòd iste Cornificius, in ipsa dicendi ratione ab optimo dicendi magistro Cicerone dissentiebat, quod ipse Cicero ad eum scribens, libro Epistolarum duodecimo his uerbis ostendit: Sed proximè scripsi de Optimo genere dicendi, in quo sæpe suspicatus sum te à iudicio nostro, sic scilicet ut doctum hominem à non indocto, paululum dissidere. huic tu libro maximè uelim ex animo, si minus gratię causa, suffragere. Dicam tuis, ut eum, si uelint, describant, ad teq; mittant. puto enim, etiamsi rem minus probabis, tamen in ista solitudine, quicquid à me profectum sit, iucundum tibi fore. In sequenti uerò epistola quodammodo eum iocose

cose irridet, cum magnum oratorem appellet: Quod extremum, inquit, fuit in ea epistola, quam à te proximè accepi, ad id primum respondebo: animaduerti enim hoc uos magnos oratores facere nonnunquam. Non poterat igitur Cornificius de arte dicendi rectè sentire, siquidem à Cicerone dissentiebat. quo fit, ut multo minus in alijs scientijs, quas non profitebatur, rectè posset iudicare. Sed ais, auctor ille ad Herennium nõ est Cornificius. At ego de hac re longam sanè disputationem confeci, qua multis mihi rationibus & argumentis probasse uideor, non alterius quàm Cornificij, opus illud esse. Verùm hoc nihil ad causam hanc nostrã. quicunque enim auctor ille fuerit, certè longè minoris est auctoritatis, quàm Cicero: aut si est Cicero, ut aliqui obstinatè defendunt, magis in alijs operibus, quæ iam maturo iudicio scripsit, quàm in hoc opere, planè indigno Ciceronis grauitate, esset ei credendum. Dico igitur, dialecticam à Cicerone uehementer laudari. licet enim aliquando Stoïcorum disputandi rationem, ut spinosam, ieiunam, & exilem notet, nihilominus tamen etiam illam oratori multum prodesse posse confitetur: quippe cum orator illi uerborum nitorem adhibeat. nam tertio de Finibus, sub grauissima Catonis persona, qui Stoicorum dogmata sequebatur, de dialectica ita ait: Nam sine hac arte quemuis arbitramur à uero abduci, fallique posse. rectè igitur, si omnibus in rebus temeritas, ignoratioque uitiosa est: ea, quæ tollit hæc, uirtus nominata est. Audis'ne Mari, quam tu tantopere damnas, dialecticam, Catonis & Ciceronis testimonio uirtutem esse? Quid libro quinto Tusculanarum, an non ait, dialecticam per omnes partes philosophiæ manare & fundi? & paulo pòst, an non de eadem hæc ait? Ex qua

cùm summa utilitas existit ad res pōderandas, tum maximè ingenua delectatio, & digna sapientia. Certè nescio Nizoli, qui tuus animus fuerit, cum illam Antapologiam scriberes: in qua tam inconsiderate ferè omnia dixisti, ut nunquam Ciceronem legisse uidearis. sentis enim, nisi planè plumbeus es, me non solum hoc in capite, sed etiam in hac tota disputatione mea, ne latum quidem unguem à Ciceronis sententia discedere. quod omnino dedita opera feci, ut ipsius Ciceronis auctoritate, pro quo te contra me inimicitias suscepisse falso prædicas, tuas nugas euertam: & omnes intelligant, me, quem ineptissimè Ciceromastigem appellas, longè diligentius opera Ciceronis, quàm te, tantum eius auctoris obseruatorem, perlegisse. nullum enim hactenus ferè argumentum posui, quod nō Ciceronis auctoritate cōprobarim: quod etiam deinceps quantum licebit, efficiam. Igitur primo de Legibus Cicero, cum hominem beatum matre omnium bonarum artium sapientia exornasset, & rerum omnium ei maximarum scientiam attribuisset, tandem ita ait: Atq; omnia quasi sepimento aliquo uallabit, differendi ratione, ueri & falsi iudicio, & arte quadam intelligendi quid quamq; rem sequatur, & quid sit cuiq; contrarium. Quo ex loco facilè intelligi potest, quantum dialecticæ tribuat Cicero, cum eam rerum omnium maximarum quasi sepimentum appellet. Quin in Bruto, quemadmodum suprà citaui, hanc artem omnium maximam esse dicit, & quasi lucem quandam. Præclarè uerò Aulus Gellius libro sextodecimo, capite octauo, de dialectica sic ait: Atq; id solum addendum atq; admonendum est, quod huius disciplinæ studiū atq; cognitio in principijs quidē tetra, & aspernabilis, insuauisq; esse, & inciuilis uideri

deri solet: sed ubi aliquantũ processeris, tum demũ & emolumentũ eius in animo tuo dilucebit, & sequet quędam discendi uoluptas insatiabilis: cui sanè si modũ nõ feceris, periculum nõ mediocre erit, ne, ut pleriq; alij, tu quoq; in illis dialecticæ gyris atq; Męandris, tanquam apud Sirenios scopulos, consenescas. Hæc nimirum sunt clarissimorũ auctorũ testimonia, de utilitate ac delectatione dialecticæ. Nam diuus etiam Augustinus, in libro de Ordine, tantopere hanc artem admiratur, ut nòn ab hominibus pro arbitrio institutam, sed in rerum ratione cõpertam scribat. Quòd siquando probatiores auctores dialecticã, quia parũ cautos decipiat, improbare solent: id propter eam tantũ dialecticæ particulam, qua fallaciũ conclusionũ, rationes traduntur, accidit. quæ quidẽ pars cum à philosophis tantũ ad Sophistarũ captiones & fallacias euitandas inuenta fuerit, eã litigiosi quidã homines plurimis argutijs, & inanibus argumentis àmpliauerunt, & uerborũ laqueis & tendiculis repleuerunt: quòd sine dubitatione damnandum est. atq; ut hoc facilius intelligatur, omnes dialecticæ partes breuiter exponemus. Tota enim dialectica cõmuniter dicta, duas in partes primarias diducitur: hoc est, in iudicandi, & inueniendi rationẽ. porrò iudicandi ratio tres habet partes, argumentandi, definiendi, diuidendi. Ratio argumentandi triplex est: uel enim ex ueris & necessarijs constat, & tunc demonstratio dicitur, quæ nos scire docet, & in unã tantum partem disputari potest: uel ex probabilibus & uerisimilibus conficitur, & hæc iam propriè dialectica nuncupatur, in qua licet in contrarias partes disputare, quam quidẽ facultatem mirificè cõmendare Cicero solet: uel denique ex falsis, quæ tamen probabilia uideãtur, fallendi studio sua ar-

gumenta constituit, & tunc sophistica uocatur, quæ nunquã aut uerè aut probabiliter, sed tantum fallaciter concludit, & quodãmodo pueriles (ut ait Cornificius) opiniones consectatur. Quare quoties à doctis uiris dialectica uituperatur, non de illa ueri & falsi disceptatrice, quæ disciplinarum omniũ moderatrix, & quasi regina est, & magnã in rebus omnibus nobis lucẽ adferre solet: sed de ista fallaci & captiosa, quam sophisticam appellant, intelligere debemus. quod etiã Erasmus innuit, in eo quem tu citasti loco, cum ait: An illi dãnarint uniuersam dialecticã, alij uiderint. illud experimentis cõpertum habeo, nullos magis aberrare à uero, quàm qui superstitiose in hoc studiorũ genere sunt uersati. Non igitur omnes dialectici à uero aberrant, sed qui in ea scientia superstitiose uersantur. At qui castè & religiose dialecticã amplectuntur, ij solent uberẽ & copiosum ex ea fructũ reportare. Sed ais: Ludouicus Viues dialecticã improbat. Imò uerò hoc falsum est, cum pulcherrimũ organũ appellet. uerùm homo desidiosus nimiam Aristotelis diligentiã accusat, qui adeò subtiliter dialecticæ præcepta tradiderit, ut laboriosius sit (quod iste ait) instrumentũ intelligere, quàm usum. quod quidem omnibus disciplinis accidit, ut facilius usum earũ, quàm rationẽ intelligamus. Sed quod ait idem Viues, id Aristotelis organũ parum esse utile, splendidè mentitur, neq; ei ullo modo credendũ est: cum tot eruditissimi uiri sint, qui aliter censeant, quorũ longè maior est auctoritas, quàm istius Hispani tui. Putas'ne Alexandrum Aphrodisiensem, Hammoniũ, Philoponũ, Simplicium, Magentinum, plurimos alios, qui in eos Aristotelis libros cõmentaria scripserunt, id facturos fuisse, si dialecticam inutilem esse putauissent? an istius Viuis

uis auctoritatem omnium eorum philosophorum auctoritati anteponendam esse censebis? Quare ne dixeris posthac unquam amplius, mi uetule, totam dialecticam à doctissimis hominibus uituperari: hoc dedecet, hoc non est honestum, ut tam turpiter mentiaris: cum apertè contra te clamet Plato, dicat Aristoteles, insurgat Cicero, boni deniq; auctores omnes te planè mentiri, clara uoce testentur. At fortasse dices: Ego de ista, quam Burleus, & Paulus Venetus, & cæteri eius farinę homines tractant, dialectica intelligo: non autem de illa antiqua, quæ laudatur à bonis auctoribus. At ego dico, te hæc ita confundere, ut maximè ridiculus esse uidearis. Quòd si tantum de hac (ut tu appellas) Burleana, sentis, non'ne tamen, si quid habes hominis, etiam te insigniter delirare, sentire potes? cur enim ad impugnandam Burlei dialecticam, Aristonis Chij, & Cornificij auctoritatem citas? an illi fortasse diuinarũt, Burleum, & Paulum Venetum aliquando (ut ita dicam) nascituros, & tanto antè dialecticam eorum improbarunt? an putas in eis animam Merlini fuisse, quæ genituram istorũ dialecticorũ illis declararet? Quid ad istas abis ineptias? non'ne tibi longè honestius esset, apertè confiteri, te nescire quid mihi respondeas, quàm istos Męandros, & ambages quærere, quę nihil tamen tuam causam adiuuent, & tuam inscitiam prodant? qui modò duos Aristoteles fingas, unum oratorem, alterũ philosophum: modò duas dialecticas cõminiscaris, quarũ neutra sit dialectica, unam quę doceat sermonis elegantiam, alterã quæ copiose & ornatè disserat: modò quæras, qui'nam apud antiquos dialecticam improbarint: modò pro argumentorũ meorũ refutatione, mihi Burleum nescio quem obiectes: modò Ciceronẽ dicas, cum

dialecticam laudaret, non de Burlei dialectica sensisset: quasi uerò quisquã sit adeò stupidus, ac tui similis, qui Ciceronem fuisse uatem ac diuinum existimet, ut de nostri temporis dialecticis istis barbaris aliquid prædicere potuerit. Sed iam satis declaratum est, dialecticam & bene differendi artem, & oratori necessariam esse, & à bonis auctoribus maximè laudari. Restat igitur ut doceamus, ueram dialecticam hac nostra tempestate reperiri, quod tu nimis insolenter negare ausus es: & in ea plurimos eruditissimos uiros excellere, quod sequenti capite luce clarius ostendemus.

Hoc nostro tempore ueram illam antiquorum dialecticam inueniri, quod insolentissimè Nizolius inficiatur. Caput XI.

IAm tandem igitur aggrediar ad eam stultitiæ furorisq; tui partem euertendam, in qua nimium petulanter ac proteruè contra philosophos omnes atq; dialecticos nostri temporis, ista tua putidissima lingua debacchatus es. quippe qui nullo deterritus pudore, nulla tot insignium uirorum reuerentia, qui sacrosanctos illos philosophiæ dialecticæq; fontes in publicis gymnasijs quàm fieri potest diligentissimè iuuenibus aperiunt: ausus es conscelerate dicere, nihil aliud eos in scholis suis, quàm garrire & obstrepere: neq; ueram dialecticã, neq; philosophiam agnoscere, sed loquacem tantum & garrulam & prorsus inutilem disciplinam. Prò deûm atq; hominum fidem, quod hoc portentum? quod monstrũ in ultimas terras exportandum, & omnino uiuum mortuumq; mactandum? tot sapiẽtissimi uiri, tam ingeniosi, tam acuti, tam perspicaces, tam eruditi, tam ueritatis amatores, qui nostro tempore Patauij, qui Bononiæ, qui Pisis, qui Ferrariæ, qui Ticini, qui in tota Italia, tota

ta Gallia, tota Hispania, toto deniq; terrarum orbe dialecticã philosophiãq; profitentur, te prædicatore sunt inepti, sunt garruli, sunt loquaces, nihil boni, nihil ueri, nihil honesti prorsus aut intelligunt, aut docent? Quid agitis ciuitatum rectores ac principes? cur tanto stipendio dialecticos philosophosq; publicè conducitis? cur illis & ad opes, & ad dignitatẽ tanta præmia proponitis? cur eos & honoratis, & charos habetis, qui auctore nescio quo Nizolio tenebrione, ex hara producto, non è schola, tantum ea docent, quæ prorsus inutilia sunt, & ad nullum aliũ usum, quàm ad garriendũ accõmodata? Quid uos dialectici & philosophi? cur uniuersum genus humanũ decipitis? cur ea publicè profitemini, quæ nullius omnino sunt utilitatis? cur tantò studio, tanto labore, tot uigilijs disserendi atq; intelligendi artem quæritis, quæ nulla penitus hoc tempore reperitur? cur tanta cura libros Aristotelis interpretari studetis, qui nequaquam sunt Aristotelis: sed nescio cuius paraphrastæ, uel breuiatoris, qui nusquam à quoquam appellatur? Sed ualeant tua, Nizoli, plusquam anilia deliramenta. apage ad coruos cum ista importunitate tua, qui nihil unquam in uita nisi maledicere didicisti: atq; hoc tamen cum facis, nihil omninò pensi habes. Neq; enim mirum est, si dialecticam & philosophiam tanta linguę procacitate uituperas, cum earum omnium præstantissimarum artium penitus rudis, atq; imperitus & sis, & esse te glorieris. Ego uerò, quamuis eruditi omnes te planè desipere intelligant; atque perfidiose mentiri: & quamuis plurimi sint, qui paucis argumentis, si tibi responderi uellent, insanam istam loquacitatem tuam facilè reprimere possent: tamen cum alijs iam de rebus tecum certamen inierim, eorum patrocinium suscipere

constitui. nam certò scio, studiosis omnibus fore gratis- simum hoc officiū meum: qui mihi etiam certatim gra- tias agent, quòd ego, quamuis neq; dialecticā, neq; phi- losophiam publicè profitear, tua tamen in eos maledi- cta refutarim. Hanc igitur totam disputationē in tria capita distribuam. Primùm enim apertè demonstrabo, ueram illam, quam tantopere laudat Cicero, ueterum dialecticam, hoc nostro tempore reperiri: deinde, verā Peripateticorum, Academicorūq; philosophiā adhuc extare: postremò, quamuis non omnia quæ scripsit Ari- stoteles opera habeamus, quia multa temporū iniuria perierunt, sicut etiam Ciceronis & aliorū multorum: & quamuis aliqua mutila sint, tamen ostendā pleraq; eo- rum quæ hodie leguntur, uera ac legitima esse Aristote- lis opera. quæ omnia tu nimis impudenter inficiari nō dubitasti. Ac primò quidem, cum omnis dialectica si- ue disserēdi subtilitas, teste Cicerone, duas habeat par- tes, unam inueniendi, alterā iudicādi: utramq; dico per- fectam hac nostra tempestate partem inueniri. Nam ars inueniēdi, quæ ad usum potior, & ordine naturæ prior, diligenter à Cicerone tractata est, ut de hac tu nullo mo- do dubitare debeas. licet enim aliqui sint, quibus in hac parte Cicero non planè satisfacit: tamen tibi tam egre- gio Ciceronis patrono, turpissimū esset dicere, scientiā hanc à Cicerone non perfectè traditam fuisse. Sed ais, Topica Ciceronis multā habent cum ijs quæ nunc ex- tant, Aristotelis Topicis dissimilitudinem. Quid tum postea? sequitur'ne idcirco, ut aut hæc Ciceronis sint im- perfecta, aut illa non sint Aristotelis? Quis est præter te, qui similitudinē istam quærat in auctoribus? an uole- bas Ciceronē esse Aristotelis interpretem? nam eo mo- do fortasse similis eius fuisset. alioqui non uideo, quare

similes

ſimiles eſſe debeant. Quot enim auctores in unaquaq; arte præcepta tradunt, qui omnes inter ſe maximè diſſimiles ſunt, atq; etiam plerunq; contrarij? quot, exẽpli gratia, grãmatici reperiũtur, & ueteres, & noui, quorũ quotuſquiſq; eſt alteri ſimilis? dicas igitur licet, nos uerã grãmaticam nõ habere: uel quia Palęmonis ars interijt, uel quia Priſcianus multã habet cũ Seruio, Phoca, Diomede, diſsimilitudinẽ. Quàm ſubtiliter, quàm ingenioſe, quàm etiã copioſè tractant omnia quæ ad inuentionẽ pertinent, in Topicis Ariſtotelis? Equidem ita ſentio, quod aliqua ex parte iam in me ſum expertus, ſi quis ea præcepta diligẽter perceperit, & in uſum atq; exercitationẽ deduxerit, nihil ei defuturũ, quod ad diſſerendũ de rebus omnib. in cõtrarias partes attineat: ſed ſubacto atq; exercitato, nõ tui ſimili, hoc eſt tardo atq; hebeti ingenio opus eſt. hęc enim tam egregia diſſerẽdi facultas nõ à quouis intelligi aut percipi poteſt. Habemus igitur duo præclara ueterũ de inueniẽdi arte, hoc eſt de prima dialecticæ parte, opera, alterum Ariſtotelis, alterum Ciceronis: quæ utraq; ſunt à doctiſsimis uiris illuſtrata commentarijs, & interpretata: quo longè facilius etiã, quàm ueteres ſolebant, niſi prorſus ignaui eſſe uolumus, hanc dialecticæ partem percipere poſſumus: cum præſertim etiam Seuerinus Boethius, uir eruditiſsimus, ijs commentarijs quæ in Topica Ciceronis diligentiſsimè conſcripſit, non contentus, multos præterea nobis libros de eadem arte reliquerit. at uerò paulo ante memoriam noſtram extitit uir ſingulari iudicio ac doctrina, Rhodolphus Agricola, qui magnam huic arti lucẽ ac ſplendorem attulit, editis tribus de Inuentione dialectica libris: qui plurimorũ eruditorum iudicio tanta cura ſtudioq; confecti ſunt, ut ueterum (quod dici ſolet) lumi-

nibus plurimũ officere uideantur: ut si tota hæc ars inueniendi funditus aliàs interijsset, ab inferis iterum reuocata per Rhodolphũ Agricolam uideri posset. Quæ tua est igitur ista tanta impudentia Nizoli, qui negare audeas, hoc tẽpore uerã dialecticã inueniri: cum tria tam eximia de Inuẽtione dialectica in manibus omniũ uolumina uersentur? An fortasse dices, inueniendi artem extare, iudicãdi uerò interijsse? ista est fortè tua Nizoli sententia. sed quid, si testimonio tuo doceo, hanc etiam partem hoc nostro tempore perfectam inueniri? Quid dices, cum tuo te laqueo suspensum intelliges? Quæ est enim ars iudicandi, an non ea quæ Greco nomine ἀναλυτικὴ dicitur? quemadmodũ Boethius in principio librorum, quos de Differentijs Topicis inscripsit, apertè testatur, cum ait: Et ea quidem pars quæ iudiciũ purgat, atque instruit, ab illis ἀναλυτικὴ uocata est, à nobis potest resolutoria nuncupari: ea uerò quæ inueniendi facultatem subministrat, à Græcis τοπικὴ, nobis localis dicitur. Quod etiã PERIONIVS, uir sanè diligens & facundus, in primum Topicorum Aristotelis scribens, multis rationibus affirmat. & Philoponus ait, in Analyticis nihil aliud quæri, nisi utrum syllogismi necessarij sint, & artificiose confecti, nec ne: quam rem ad iudicãdi artem pertinere, quis non intelligit? Quid ergo? duo libri priorũ Analyticorũ, ad quam tandem dialecticæ partem pertinent? non certè ad artem inueniendi: quò fit, ut ad iudicandi artem necessariò referantur. Quid? ijs libris aliquid'ne deest, quo minus perfecti sint? hanc certè tu ipse per summã imprudentiã, aliud agens, tibi dubitationẽ abstulisti, qui perfectos eos esse planè confiteris. hæc enim uerba tua sunt, cum de illis libris loqueris: Quis enim credat Aristotelem cõposuisse, exempli

gratia, in Logicis priorum Analyticorũ libros nouem, ut refert Laertius, deinde etiam hos duos quos hodie habemus: præsertim cum uideamus eos ita perfectos esse, ut de ea materia nihil amplius scribi posse uideatur? Hoc tuum est cõtra te testimoniũ: qui primò dicis omnem dialecticã interijsse, deinde fateris nos perfectos Dialecticæ libros habere. quo quid uanius, aut turpius dici aut excogitari potest? Habemus igitur, etiam te auctore, iudicandi artem perfectã. nam Posteriorũ libri, quos ut ueros ac legitimos Aristotelis etiam Laertius tuus agnoscit, ad demonstrationẽ referuntur. Quare non uideo, qua ratione negare uelis, dialecticam nos ueram habere. Sed hoc etiam Ciceronis auctoritate nobis probandũ est: ut tibi, quoad uiuas, oculi doleant, qui tam negligentes in legẽdo Cicerone fuerint. Quid ergo ait Cicero? quæ sunt apud eum officia dialectici? Lege Oratorem ad Brutũ, & hæc eius uerba reperies: Nam & ipse Aristoteles tradidit præcepta plurima disserendi: & posteà qui dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererũt. Ego eum cẽseo, qui eloquentiæ laude ducatur, non esse earũ rerũ omnino rudem: sed uel illa antiqua, uel hac Chrysippi disciplina institutus, nouerit primùm uim, naturã, genera uerborũ & simplicium, & copulatorũ: deinde quot modis quicq; dicatur, qua ratione uerũ falsum'ne sit, iudicetur, quid efficiatur è quoque, quod cuiq; cõsequens sit, quodq; contrariũ: cumq; ambiguè multa dicantur, quomodo quicq; eorum diuidi explanariq; oporteat. Primum est igitur, teste Cicerone, dialectici officium, uim, naturã, genera uerborum simpliciũ cognoscere. qua in re spectantur genera, species, differentiæ, proprietates, cũcta: de quibus tam accuratè tractauit Prophyrius, summus philosophus, ut

de his quinque uocibus, nihil ultrà desideremus. Porrò genera quædam ultima atque summa sunt, quæ sub se rerum omnium notiones & appellationes complectuntur: quæ diuisa differentijs in species, & insignita proprietatibus, aut euentis, rerum omnium tam communium, quàm singularum uim & naturam explicant: & tamen ad simplicia tantùm uerba pertinēt. hæc genera summa dicuntur à Græcis κατηγορίαι, de quibus aureum opus habemus, quod uulgò Prædicamentorum Aristotelis appellatur: in quo quid amplius desiderari possit, ego certè nō uideo. tu si quid in eo reprehendis, proferre debes. Quatenus igitur attinet ad simplicia uerba, perfectam habemus dialecticam: cum præsertim uiri doctissimi duo illa opera, quibus diximus simplicia uerba contineri, diligentissimè sint interpretati: ut ex Græcis, Hammonius, Simplicius, Porphyrius, Dexippus, & alij nonnulli: è quorum numero duos, hoc est, Porphyrium & Dexippum, in Latinum sermonem conuertit uir ab omni laude felicissimus, BERNARDVS FELICIANVS: quem hic honoris gratia nomino, & cōtra tuam impudentiam testem adduco. qui profectò cum uerus sit dialecticus & philosophus, etiam tacendo te mendacissimum esse ostendit, qui dicas neque ueram dialecticam, neque philosophiam hodie reperiri. Multi etiā ex Latinis prædicamentorū opus illustrarunt, sed omniū (meo quidem iudicio) diligentissimè Boethius. Quid copulatorū uerborū scientia, non'ne plenè perfecteque tradit in Aristotelis libro de Interpretatione, quē & Hammonius, & Boethius, & post illos longè subtilius & ingeniosius diuus Thomas interpretatus est? Quid est igit quod in hac parte desideres, ubi uis & natura pronunciatorum omnium aptè, distinctè, perfecteque

perfecteq; traditur. Cætera quæ numerantur à Cicerone, partim in Analyticis traduntur, partim in Topicis, partim in Elenchis. Analytica tu ipse fateris esse perfecta: de Topicis iam diximus. Elenchorum liber quasi cumulus quidam ad reliquos accedit, ideo conscriptus ab Aristotele, quò fallaces sophistarum conclusiunculas uitare possimus. Est alia uerissima subtilissimaq; ratio, quam ab ipsa rerum natura uerè diuinus ille Thomas accepit, qua planè declaratur, ueram omnino differendi rationē nos habere. Tres enim animi nostri sunt, inquit, actiones. prima, cum res singulas intelligit, hoc est singularum rerum notiones & imagines apprehendit, & quodammodo contemplatur: ut arborem, superficiem, colorem. secunda, cum rerum notiones inter se copulat, uel diuidit assentiendo, uel dissentiendo: ut exempli gratia, arbor est substantia, arbor non est qualitas. tertia, cum ex rebus iam cognitis conatur ignotas intelligere, ut, si quis sciat animalia quidem omnia uiuere, & sentire, sed ignoret utrum spongia sit animal, ita secum ratiocinabitur: Quęcunq; uiuunt, et sentiunt, animalia sunt: spongia uerò uiuit, & sentit: ergo est animal. Prima igitur actio nostri animi, cognitione atq; intelligentia simplicium uerborum perficitur: ut sciat animus rectè distinguere, quid substantia sit, quid quantitas, quid qualitas, atq; ita de alijs: quam nobis integram cognitionem liber Prædicamentorum adfert. Secunda actio pronunciatorum, siue propositionum, aientium & negantium, communiū & singularium, necessariarum & fortuitarum cognitione perficitur: ut sciamus quid in quaq; re sit, aut non sit, utrum per se sit, hoc est, naturaliter, an casu & fortuitò: quæ omnia rectè traduntur in libro de Interpretatione. Tertia actio non aliter per-

fici potest, quàm si quis intelligat quid efficiat e quoque, quod cuique consequens sit, quodque contrarium, & nisi quis quid uerum, quid falsum sit, discernere sciat: quæ scientia & in prioribus & in posterioribus Analyticis integrè docetur. Atque ut facilius animus noster ex ijs quæ iam intelligit, ratiocinari ac differere posſit, traduntur loci quidam, & quasi sedes argumentorum in Topicis, unde facilè differendi copia paretur. Sed quoniam falsæ opiniones plerunque ueritati officiūt, & in errorem animum inducunt: additus est liber de Fallacibus reprehensionibus, cuius præceptis cognitis, neque nos ipsos decipiemus, neque ab alijs decipi nos sinemus. Hoc est integrum ac perfectum dialecticę corpus, quod hoc nostro tēpore reperiri sciunt omnes. utrū autē hæc opera sint Aristotelis, nec'ne, posteà uidebimus, nihil enim ad propositā quæstionē. satis est enim ostendisse, in eis nihil omnino desiderari, quod ad uerā dialecticæ cognitionem pertineat. Quorsum igitur ineptisſime calumniator, Paulos nescio quos Venetos, aut Burleos, quos ne pictos quidem unquam uidi, mihi obijcis? perinde quasi barbaros ego istos, qui hac florenti ætate nostra etiam à monachorum conuentibus exterminantur, in quibus longo tempore uiguerunt, ac regnarunt, dialecticæ bonos auctores laudem. Vbi horum in scriptis meis fit mentio? ubi citantur? ubi uestigium eorum apparet? Fieri'ne potest, ut istud os durum tantopere perfricueris: ut nihil omnino te pudeat, tam manifestè mentiri, & ea mihi obijcere, quæ nulla tenui suspicione, aut coniectura probare posſis? Vnde illud sumpsisti, me conatum esse Burleis, & Paulis Venetis in differendo Ciceronem inferiorem ostendere? ubi istorum ego hominum in scriptis meis memini? profer locum, ubi uel nominarim,

minarim, uel aliquo modo me de eis loqui significarim. En hominem sanctum & ueracem, qui sexaginta natus annos, uel fortasse etiam plures, tanquam bimulus puer, apertè mentiri nõ erubescit. Sed desino de me conqueri: magis me mouet doctissimorum hominum dignitas, & splendor, quem tu nequissimè deformare ausus es. Iterum igitur, atq; iterum repeto, nos perfectam habere dialecticã, cum ex Aristotelis libris quos suprà citauimus, omnia discamus, quæ Cicero in Bruto dialecticæ tribuit: hoc est, rem uniuersam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primùm uidere, deinde distinguere, postremò habere regulam, qua uera & falsa iudicentur, & quæ quibus propositis sint, quæq; non sint consequentia. Hæc inquam omnia diligentissimè tradit ea, quæ nostro tempore reperitur, dialectica. Vel si aliquid deesse censes, cur non illud in medium produ cis: ut tuam censuram uideamus, qui dialecticorum imperfectionem à nullo adhuc intellectam notes? Quid est, quod nobis desit ad integram dialecticæ cognitionem? sunt'ne alia quædam, quæ dialecticus præstare debeat, quàm quæ hactenus commemorata sunt? Equidem nihil aliud esse uideo: neq; ipse Cicero, cuius auctoritate nitimur, dialectico plura tribuit. Quod si tu alia dicis, opus est ut ea proferas: non autem tanquam furiosus quidã, uibrato gladio (quod aiũt) aerẽ uerberes. At fortasse dices, in arte dialectica nõnulla Aristotelis opera desiderari, atq; ideò nõ esse perfectã dialecticam. Mirificũ uerò disputatorẽ: quasi uerò non hoc in omni scientia, temporum iniuria cõtigerit, ut plurima clarissimorum auctorũ opera perierint. quot enim in grammaticis? quot in rhetoricis? quot in mathematicis? quot in

philosophia? quot in iure ciuili? quot denique in omni disciplinarum genere desiderantur opera? Dicas igitur, isto tuo argumēto, neque grammaticam, neque rhetoricā, neque mathematicas disciplinas, neque philosophiā, neque ius Ciuile nostro tempore reperiri: propterea, quòd in unaquaque scientia multa uolumina interciderunt. Non est, mihi crede, quòd in dialecticos arguteris: cum hac nostra tempestate plurimi tam acuti, tamque ingeniosi reperiantur, ut etiam si multa deessent huic arti, cui nihil omnium doctorum iudicio penitus deest, tamen ea suo ingenio facilè supplere possent. Sed cum uideant nullā ferè scientiam aut integriorem, aut perfectiorem extare, quàm dialecticam: ea percepta, malunt in philosophiæ sinum ac penetralia cōfugere, quàm integro perfectoque corpori aliquid adiungere. Quamuis etiam aliqui recentiores adiumenta huic arti plurima, non quidem ad eam perficiendam, sed ad illustrandam attulerunt: ut tuus ille Trapezuntius, qui licet in alijs rebus multis desipuerit, tamen de dialectica satis commodè scripsit: sed eo longè commodius IOAN. CAESAREVS, & nouissimè PHILIPPVS MELANCHTHONIVS: qui mihi homines uidentur uiam atque aditum ad Aristotelis opera munire, atque aperire uoluisse: quorum conatus ideo magnopere laudandi sunt, quòd hāc tam egregiam scientiam, iampridem barbarorum commentarijs, & (ut ita dicam) somnijs inquinatam, & squalentem, atque horridam, quodammodo purgare, & nitidiori cultu exornare contenderunt. Alij uerò nonnulli Græcorum commentarios in latinum sermonem eleganter transtulerunt: ut iam tandem barbaria illa, quæ superioribus annis hanc artem occuparat, penè omnis expulsa sit. neque mihi dubium est, quin breui temporis

sit omnis philosophia eleganter & polite locutura, cum hac in re tot praeclara ingenia uideam elaborare. Sed omniū optime iuuenis ille doctissimus, qui mihi summa necessitudine coniunctus est, & qui iam in omniū eruditorum ore uersatur, OCTAVIANVS FERRARIVS: quem audio tam acute, tam subtiliter, tam ingeniose, tam deniq; (quod uix fieri posse uidebatur) polite dialecticam in Ticinensi gymnasio profiteri, ut maximam de se omnibus admirationem concitet: & iam Senatus noster Mediolanensis, eius singulari uirtute commotus, decreuerit eum ad altiorem dignitatis gradum prouehere, & ordinariam profitēdae philosophiae prouinciam illi demandare. qui certe unus, uel ipso solo professionis suae nomine, uanitatem & stulticiā tuam refutare facillime potest. is enim ueram omnino dialecticam docet: quam tu omnium imperitissime iampridem interijsse, neq; hoc nostro tempore usquam inueniri, quia scilicet argumenta mea refellere non poteras, scribere, atq; in lucem edito uolumine, palàm affirmare nequaquam erubuisti. Sed iam etiam te ipsum, qui tam multos eximios uiros imprudentissime lacerasti, stultitiae tuae pudere atq; poenitere certò scio.

Philosophiam Academicam, atq; Peripateticam, adhuc integram & perfectam extare, contra Nizolij *sententiam.* Caput XII.

DE philosophia uerò quāuis non tam male, quàm de dialectica sentire uidearis: tamen quia primò Platonem indignissime uituperas, deinde nullum opus Aristotelis uerum ac legitimū extare contendis, aliqua mihi sunt in medium afferenda, quibus manifestò probem nos eam uerā, quam Academici Peripateticiq; docebant philosophiā habere. Vult enim Cicero, nullam

inter Academicos, Peripateticosq; fuisse, præter nominum, differentiam. quod in Academicis his uerbis ostendit: Platonis autem auctoritate, qui uarius, & multiplex, & copiosus fuit, una & consentiens duobus uocabulis philosophiæ forma instituta est; Academicorum & Peripateticorum, qui rebus congruentes, nominibus differebãt. Fuit ergo iam accepta (quemadmodũ eodẽ in libro Cicero scribit) à Platone philosophãdi ratio triplex: una de uita & moribus, altera de natura & rebus occultis, tertia de disserẽdo, & quid uerũ, & quid falsum, quid rectum in oratione prauum'ue, quid consentiens, quid repugnans iudicando. Hanc ego triplicem philosophandi rationem hoc nostro tempore dico plenam atq; perfectam extare: neque nos minus bene, atq; haud scio an etiam longè melius dicam, philosophari, quàm illos ueteres Academicos, Peripateticosq; quia multo clarius omnia sunt reperta, patefacta, illustrata, in hac nostri temporis ingeniorum fœcunditate, quàm tum, cum nascebantur. Ac de tertia illa philosophiæ parte, in qua de disserendi ratione tractatur, iam superius multa uerba fecimus: ut nemo amplius dubitare possit, quin ueram dialecticam habeamus. De prima uerò multo minus est dubitandũ. nos enim multo melius & uerius de uita et moribus philosophamur, quàm ulli unquam ueteres philosophi: quippe qui ueritatis ipsius lucem, atq; sempiternæ uitæ felicitatem, de qua dubitasse uidetur Aristoteles, Plato non satis ad ueritatem disseruisse, quamuis nihil de illa dubitaret, in sacris literis nostris intueamur: & ad illam æternam domum, ac beatorum sedes, quas Plato bonis uiris pollicebatur, iam patefactum ac munitum iter habeamus. Optimum enim omnium ducem ac philosophum ad immortalitatem

tem CHRISTVM sortiti sumus: quem imitantes, uitam et mores nostros multo sanctius instruemus, quàm si totam Platonis & Aristotelis philosophiam imbiberimus. Sed de hac re te nequaquā dubitare, nisi planè sis hæreticus, existimo. Videamus, an Academicorum & Peripateticorum philosophia de moribus adhuc extet: quam quidem triplicem esse uolunt: unam, quæ ad mores uniuscuiusq; priuatim conformandos attinet, in qua de uirtutibus ac uitijs, de utilitate ac detrimento, de iucundo ac molesto, de honestarum rerum inter se atq; utilium comparatione tractatur: quam græco nomine uocant Ethicam. alteram, quæ rei familiaris commoda atq; incōmoda spectet, & doceat qua ratione diuitię parari possint, domus consilio regi, familia bene instrui, & deniq; quæcunq; ad domesticam uiuendi rationem rectè instituendam pertinet: quam Oeconomicam appellant. tertiam, duarum superiorum principem ac reginā esse uolunt, quæ reipub. administrandæ uiam ac rationem quærit, ac docet quo pacto leges ac iura sancienda sint, quomodo in pace atq; in bello uiuendum, quomodo sint urbes ac fines custodiendi, quomodo uectigalia conseruanda, deniq; quomodo res omnes aut exportari aut importari debeant: hæc enim sunt omnium maxima (quod ait Aristoteles) de quibus in ciuitate deliberatur: atq; hanc quidem scientiam Politicam nomināt. Quid igitur? dices'ne perfectam ethicen nos non habere: cum tot extēt Platonis dialogi, in quibus nihil aliud, quàm de bonis moribus agitur? cum decem Aristotelis ad Nicomachum tam egregij, tam præstantes, tam ex omni parte perfecti libri, doctorū omniū manibus terantur? cum eiusdē Aristotelis magnorum (ut uocant) Moralium duo legantur, in quibus generalius quædā

de

de uita & moribus tractat? prætermitto quæ ad Eudemum scripsit idem Aristoteles, quia mutila sunt, & planè imperfecta: uerùm non ideò tamen quisquã arguere potest, perfectam Ethicen non extare, cum alijs in libris perfecta sint omnia. Quin huic scientiæ plurimã Tullius noster attulit adiumenta: qui quæcunq; ferè de uita & moribus doctè & ornatè dici possunt, tribus illis egregijs ad Marcũ filium de Officijs libris explicuit: & quæ ad sedandas animi perturbationes, & beatã uitam acquirendã spectant, quinq; Tusculanarũ quæstionum libris omnium elegantissimè doctissimeq; tradidit. Quid est igitur, quod amplius in hac parte desideres? Equidem credo, si quis Christianã philosophiam excipiat, nihil pulchrius atq; sanctius de uita & moribus dici posse, quàm quæ Platonis, Aristotelis, & Ciceronis libris continentur. quibus si tanquã noua forma quędã & perfectio, Christiana lex accesserit, nihil erit omnino, quod in hoc genere præstantius aut dici, aut excogitari posſit. Quid ea scientia, quæ est de tuenda re familiari? non'ne doctè atq; eleganter in Oeconomicis Aristotelis docetur? non'ne de eadem scientia Xenophon Socraticus politissimè scripsit: quod opus adhuc est in manibus? Quid igitur huic parti deesse potest, quam duo præstantissimi uiri accuratè tractarunt: præsertim cum etiam Plato libris de Republica multa insperserit, quæ ad hanc scientiã pertineant? Iam uerò politicã totam, & Academicã, & Peripateticam, sine ulla dubitatione tenemus: cum decem Platonis de Repub. libri, & duodecim de Legibus, tanta doctrina & eloquẽtia confecti legantur, ut non ab humano ingenio, sed potius diuino profecti uideantur: cumq; Aristotelis octo Politicorũ libros habeamus integros atq; perfectos, quos

etiam

etiam Diogenes Laertius aghoſcit. At fortaſſe dices hoc loco, duos alios de Repub. libros ab Ariſtotele ſeparatim editos, qui non amplius inueniantur: atq; ideo nos ſcientiam illam integram non habere. quæ ratio ſanè nullius eſt momenti, cum octo libri Politicorum, quos habemus, perfecti & integri ſint. Hãc enim uideo fuiſſe cùm Græcorum, tum etiam Latinorum conſuetudinem, ut de eadem materia uaria atque diuerſa opera componerent: uel ut aliquibus magnis uiris gratificarentur, uel ut ingenium ſuum & copiã oſtenderent: ut Ariſtoteles ipſe cum ad Nicomachũ filium Ethicen ſcripſiſſet, de eadem tamen ad Eudemum poſtea ſcripſit. Sic duplex Rhetoricorũ opus eiuſdem philoſophi legimus, alterum ad Theodecten, alterum ad Alexandrum. quem imitatus Cicero, multa de ratione dicendi, uariaq; opera conſcribere non dubitauit: eadem etiam ſæpe repetere, & quaſi inculcare. Non enim contentus ijs duobus libris, quos de Inuentione rhetorica ſcripſerat, tres illos de Oratore perfecto, & quidem perfectiſſimos adiunxit. quibus cum nihil addi poſſe uideretur; uoluit tamen & Oratorem perfectum ad Brutum, & Partitiones oratorias ad M. filium adiungere: quæ ſingula per ſe ſunt perfecta opera. quin etiam ab eodem Cicerone multa græcè de ratione dicendi cõſcripta accepimus. Hæc autem ideo commemoro, quia tu ſcilicet egregius cenſor, omnino putas abſurdum eſſe, ſi quis dicat Ariſtotelem multos de eadem materia libros edidiſſe: quod quàm prudenter ſcite'que facias, ipſe uideris. Ego certè iudico, etiam ſi unum aliquod ex oratorijs operibus Ciceronis (quod deus omen auertat) amiſiſſemus, ut (exempli gratia) libros de Inuentione, aut Partitiones, ſicut ea quę græcè ſcripſit amiſimus: nihilo

minus tamen perfectam dicendi rationem in tribus illis de Oratore libris fuisse nos habituros. ita quanquam duo Politicorum Aristotelis libri separatim editi perierint, tamen cum octo integri ac perfecti supersint, nullo modo dubitandum est, quin perfectam Peripateticorũ Politicam habeamus. Atq; utinam in hac parte nobis nimium dolendum non esset, qui tantam iacturam sex illorum de Repub. librorum, quos & scripserat, & ediderat Cicero, fecerimus. At nihil prodest dolere: cætera uideamus. Restat enim, ut doceam, nos eam philosophiæ partem integram habere, quæ de natura & rebus occultis uerba facit: de qua sane multa Plato cùm disperse in plurimis dialogis, tum in eo qui Timæus inscribitur libro, mira quadam cum subtilitate atque maiestate tractauit. Sed (ut ingenuè fatear) cum in cæteris philosophiæ partibus Plato sit Aristotele discipulo suo longè præstantior, in hac una de natura multo inferior esse uidetur. Hanc igitur etiam philosophiæ partem triplicẽ esse statuunt. nam aut res quæ sub sensum cadunt, & materiæ semper adiunctæ sunt, considerat: atq; hæc Physica propriè dicitur, in qua scientia primas semper Aristoteles obtinuit. aut res materiæ quidem aliquo modo inhærentes, sed ipsa cogitatione abstractas: ut magnitudines, numeros, sonos inuestigat, & Mathematica uocatur. aut deniq; formas penitus à materia separatas, & æternas, atq; diuinas quærit: quam Metaphysicã appellant, in qua Platoni palmum tribuunt. Physicam igitur primò, quæ subiecta sensibus tractat, nos perfectam habere confirmo. Vel enim principia rerum, quatenus naturales sunt, atq; corporatæ, perscrutatur, & ea quæ cohærentia sunt & connexa principijs: ut, locum, tempus, inane, cæteraq; id genus: quam scientiam octo libris

bris de Auscultatione physica perfectissimè tradit Aristoteles. Vel ea quærit, quæ ex principijs oriuntur, quæ partim simplicia sunt, partim composita. de simplicibus corporibus in quatuor de Cœlo libris acutè & copiose tractat: qui sane libri sunt à nobis latina interpretatione satis (ut opinor) illustrati. Sed cum simplicia corpora partim omnino sint æterna atque immutabilia, ut cœlum cœlestiaque omnia, partim uerò generationi continenter atque interitui, quatenus ad eorum partes, subiecta sint: factum est ideo, ut Aristoteles duos etiam subtilissimos illos de Generatione & interitu libros conscriberet: quos itidem nos latinè, copiosius, & apertius interpretati sumus. Iam uerò composita corpora uel in sublimi, hoc est in aere fiunt, uel in aqua, uel in terra. de ijs quæ in aere fiunt, ut de nubibus, de pluuia, de uento, de fulmine, tonitru, cæterisque eius generis, ijs in libris subtiliter agit Aristoteles, qui Meteororum inscribuntur: in quibus etiam de illis loquitur, quæ in terræ uisceribus fieri solent, ut de fluuijs, fontibus, terręmotu, saxis, metallis, & si qua sunt alia. quę omnia longè copiosius, licet impolitius, persecutus est Albertus ille cognomēto Magnus. Quæ uerò in aqua, & quę in terra fiunt, uel plantę sunt, uel animalia: uel mediā quandā naturā sortita sunt inter plantas & animalia, quæ græco nomine ζωόφυτα uocant. De Plantis duo nuper Aristot. libri sunt reperti. Sed huic philosophiæ parti discipulus Aristotelis Theophrastus copiose satisfecit: quos libros Theodorus Gaza, uir summo ingenio, ac doctrina, latinos fecit. de Animalibus, adhuc extant Aristotelis multa doctissimè conscripta uolumina, in quibus etiam de illis tractat, quæ Zoophyta diximus appellari: quales sunt spongiæ, conchæ, & si qua sunt eius generis alia.

Quid? de Anima quàm eruditè, quàm subtiliter tribus libris agit Aristoteles? Quid de alijs, quæ animam consequuntur? ut de Sensu & sensili, de Somno & uigilia, de Memoria, de Respiratione, de Vita & morte, de alijs multis, quàm politè scripta Aristotelis opera legimus? quæ sanè declarant, nullam esse rem in tota natura positam, cuius rei cognitionem ex his operibus habere non possimus. Non est igitur dubitandum, quin naturalem philosophiam perfectam habeamus: præsertim cum etiam aliorum, quàm Aristotelis, & apud Græcos, & apud Latinos multa opera de hac philosophiæ parte scripta legamus. De Mathematicis nihil affirmo: quia licet in eis Plato et Aristoteles doctissimi fuerint, tamē de illis aut nulla, aut certè pauca conscripserunt. ab alijs tamen philosophis etiam mathematicas scientias perfectas habeamus: ut ab Euclide, Archimede, Nicomacho, Ptolemęo, multisq; alijs. Quid de Methaphysica dicemus, quæ per omnes Platonis dialogos diffusa, tanquam gemma quædam preciosissima mirificè splendet, & animum semper nostrum à sensibus atq; à caducis rebus abducens, ad cœlestia, æterna, & diuina rapit? Sed ut hanc uerè diuinam Platonis philosophiam relinquamus, quam pauci possunt assequi: potest'ne aliquod opus præstantius inueniri, quàm quod ab Aristotele de hac prima philosophia diuinaq; conscriptum habemus? quod Alexander ille Aphrodisiensis doctissimis commentarijs illustrauit. atq; utinam M. ANTONIVS FLAMMINIVS, homo non minori doctrina præstans, quàm eloquentia, uoluisset, aut potuisset ita reliquos eius scientiæ libros interpretari, sicuti duodecimum aptè, distinctè, & ornatè nobis interpretatus est, nam si hoc factum esset, nullā ego philosophiæ partem

tem neq; apud Latinos, neq; apud Græcos illustriorem esse iudicarem. Sed iam satis (ut opinor) perspicuum est, nullam prorsus philosophiæ partem deesse: licet alia sit fortassis alia uel apertior uel illustrior. Quo fit, ut nostri temporis philosophi, quos tu nimis insolenter exagitas, nihil prorsus ueteribus concedere debeant: imò tanto sint illis superiores, quanto iam à tot pręclaris ingenijs sunt omnia longè clarius, quàm priscis illis temporibus, illustrata.

Quæ sub Aristotelis nomine leguntur opera, pleraq; sine dubitatione Aristotelis esse, quod inscitè Nizolius negat. Caput XIII.

NVnc ad Aristotelis libros uenio, quos tu nulla sanè firma ratione, sed inani tantum suspicione, & tenuissimis quibusdam coniecturis contra doctissimorum omnium sententiam negas esse Aristotelis. Atqui tantum abest, ut doctus aliquis tecum sentiat, ut etiam omnes certatim Deo gratias agēdas esse censeant, quòd licet plurima Aristotelis opera temporū iniuria interierint, tamen ea supersint adhuc, quæ omniū præstantissima fuere iudicata: quæ sic ingenijs clarissimorum hominum celebrata atq; illustrata sunt, ut nemo satis doctus existimari soleat, qui non Aristotelicæ doctrinæ sacris (ut ita dicā) initiatus sit. Omnes igitur qui inter eruditos numerari atq; haberi uolunt, Aristotelem euoluunt, suspiciunt, admirātur, prædicant: solus Nizolius, tāquam ex uepreculis & senticetis extractus sorex, diuinum hunc auctorem conatur arrodere. Sed quibus tu rationibus erudite senex, ea quæ præ manibus habemus opera, negas Aristotelis esse? potes'ne firmum aliquod argumentum, aut saltem aliquā uerisimilem coniecturam in medium adferre? nihil minus. uerùm, quia

nescis argumentis meis ab Aristotele sumptis respõdere, idcirco multo impudentissimè negare audes, opus ullum hoc tempore, quod legitimum sit Aristotelis, inueniri: ut non tantùm me offendas, qui Aristotelis lectione mirificè delectari soleo, sed penè infinitos excellentes uiros, qui & præterito tempore hæc quæ supersunt, Aristotelis opera uehemẽter admirati sunt, & hoc nostro tempore nihil magis suspiciunt. Tu uidelicet longè prudẽtior es, quàm aut olim fuerit Alexãder Aphrodiseus, Ammonius, Simplicius, Themistius, Philoponus, alijq́ propè infiniti: aut hodie sint tot Aristotelicæ Philosophiæ professores, qui ubiq; florent, & nihil de Aristotelis operibus dubitant. Verùm hoc totum caput ita distribuã, ut primò tuas omnes rationes, quibus libris suis Aristotelem spoliare cupis, infirmas atq; inanes esse ostendam: deinde, ut contrarijs ego rationibus libros Aristoteli suos adiudicem. Audiamus igitur, quibus tu argumentis te probasse existimas, libros qui hodie sub Aristotelis nomine leguntur, non esse Aristotelis. Primùm ex Strabone & Plutarcho uulgatissimã historiam, tanquam rem nouam recitas: quæ tamẽ contra tuam opinionem facit. aiunt enim illi, libros Aristotelis, cum diu latuissent, erutos fuisse: sed semilaceros, & humore terrestri corruptos: sicq; ab Apellicone Teio emptos magno precio, qui cum eos in noua exemplaria transcribẽdos curasset, multis repleuit erroribus: deniq; uerò à L. Sylla, captis Athenis, repertos in bibliotheca Apelliconis, & Romam translatos, in Tyrannionis grammatici & Andronici Rhodij manus peruenisse, atq; ab eisdem editos fuisse. Quæ ut omnia uera esse concedam, non tamen ex Strabonis aut Plutarchi uerbis eruere quisquam potest, hos libros non esse Aristotelis,

stotelis, licet multis erroribus aliquando pleni fuerint: quod etiam alijs ferè omnibus bonis scriptoribus accidit. Quot enim in Cicerone, quot in Liuio, quot in Plinio, quot in alijs auctoribus errores à præclaro ingenio uiris, notati atque sublati sunt? Licet igitur ista ratione dicamus, hęc opera Ciceronis aut Liuij, aut Plinij nō esse, quoniā tot erroribus aliàs undique scatebāt. Quam quæso uim habet istud argumentum tuum? Aristotelis opera uitio librariorum olim errorum plena erant: ergo nō sunt Aristotelis. Papę, quàm ingeniose collectum. Imò uerò Plutarchus, Strabonem (ut credo) secutus, narrat, post inuentionem librorum Aristotelis, Peripateticos philosophos longè melius ex Aristotelis sententia philosophari cœpisse: cum antea nullis libris acroamaticis adiuti, tantùm exoterica quædam Aristotelis opera sequerentur, & eiusdē auctoris uulgatas opiniones. Itaque uides, historiam hanc potius opinionem tuam euertere, quàm eam aliqua ex parte confirmare. Quin ego magis crediderim id uerum esse, quod Atheneus libro Dipnosophistôn primo recitat, Neleū Scepsiū Aristotelis familiarem, & librorum hęredem, omnes Aristotelis & Theophrasti libros Ptolemæo Philadelpho, qui magnam illam & memorabilē in Aegypto bibliothecam cōgessit, uendidisse: cum præsertim Ammonius in Prædicamentorū interpretatione scribat, Philadelphū Aristotelis operum fuisse studiosissimum, & quæcunque poterat inuenire, magno precio emere solitum. Qua ratione facilè fieri potuit, ut ex Philadelphi bibliothecà postea descripti fuerint Aristotelis libri, atque ita editi: ut ex eis exemplaribus restituti sint illi, quos Athenis Romā Sylla deportauerat. quod longè uerisimilius est, quàm quod tu nullo auctore fingis, non esse legitimos quos

habemus,

habemus, Aristotelis libros. Quin etiam illud falso atque imperite comminisceris, indicem illum librorum Aristotelis, quem hoc tempore legimus apud Diogenem Laertium, eundem esse cum eo quem Plutarchus scribit, ab Andronico Rhodio factum fuisse: cum in Laertiano indice, qui negligētissimè factus est, ut postea docebimus, nulla mentio fiat exotericorum & acroamaticorum librorum, de quibus Andronicus Rhodius multa dixit, ut Gellius auctor est. Atque hoc magis explodēda est opinio tua, quòd nullius boni auctoris testimonio confirmatur. Quòd autem ais, ferè omnes Aristotelis interpretes in initijs interpretationum suarū quæstionem proponere, an ille liber quem interpretandum sumpserunt, uerè sit Aristotelicus, nec'ne, propterea quòd de illo dubitent: hoc falsum est omnino, quoniā pauci sunt interpretes qui hoc faciant: neque in omnibus Aristotelis libris, sed in ijs tantùm qui ad Logicam pertinent. Tu uerò tam pinguis & stupidus es, ut quoniam in Logicorum libris à nonnullis interpretibus hoc fit, putes etiam in alijs Aristotelis operibus idem ab omnibus interpretibus fieri. quod quàm ineptum sit, quis nō intelligit? Posset enim aliquis istud argumentum tuum in te conuertere, hoc modo: Si de illis tantum libris dubitandum est, utrum sint Aristotelis, nec'ne, in quibus ab interpretibus græcis quæritur τὸ γνήσιον, ut tu censes: igitur in quibus non quæritur, illi sine dubitatione Aristotelis erunt. Sed præter Logicos libros in nullis ferè proponitur hæc dubitatio, neque legitimum (ut ita dicā) illud quæritur: ergo tibi concedendum est hac ratione, libros omnes qui sub Aristotelis nomine leguntur, præter Logicos, uerè Aristotelis esse, quoniam de Logicis tantùm interptetes dubitare uidentur. Sed nō ea causa

est,

est, quàm tu opinaris, cur Aristotelis interpretes τὸ γνή-σιον quærant. neq; enim hoc faciunt propterea, quòd numerus & inscriptio librorum Aristotelis, quæ est apud Laertium, cum præuulgatis codicibus Aristotelis minimè conueniat: quoniam non tanti faciendus est Diogenes tuus (quem doctißimi homines, Aristotelis interpretes, ne natum quidem fortasse nouerant, & qui maximè negligens scriptor fuit, ut alio in loco declarabo) ut ex eius scriptis quisquam de ueritate dubitet. Verùm hanc quæstionem duplici de causa proponere solent, quemadmodum Simplicius in Categorijs innuit: primò, ut magis iuuenes excitentur, ad eum amandum & suspiciendum librum, quem præ manibus habent, cum à tam præstanti auctore profectum fuisse intelligant: deinde, nonnulla eiusdem argumenti atq; inscriptionis opera circumferebantur, quæ non erant Aristotelis. ut, exempli gratia, scripsit Aristoteles Categorias, deinde etiam eius discipuli, Eudemus, Phanias, Theophrastus, præceptoris æmulatione de eadem re scripserunt. dubitabit igitur aliquis, utrum Categoriarum liber qui sub Aristotelis nomine circumfertur, ipsius Aristotelis sit, an alterius. uerùm interpretes ex sententijs, & dicendi genere, & methodo facilè probāt Aristotelis esse. Atq; ut apertius errorē tuum agnoscas, libet ipsius Simplicij uerba recitare. sic enim ille: Καὶ τὸ γνήσιον δὲ, ὅπερ (ὡς ἐμοὶ δοκεῖ) πρὸ πάντων ἔδει τῶν ἄλλων βασανίζεσθαι, ἀναγκαίως προλαμβάνεται. πάσχομεν γάρ τι καὶ ὑπὸ τῆς τῶν προσώπων δόξης, καὶ οὐκ ἀτόπως διὰ τὸ μὴ πάντα παῤῥησιάζεσθαι πρὸς τὴν τοῦ ἀληθοῦς διάκρισιν, ἀλλ᾽ ἀγαπᾶν ἔστιν ὅτε τὸ τοῖς κρείττοσιν ἕπεσθαι. πολλὰ γὰρ ἐγράφη καὶ νόθα βιβλία, κατ᾽ ἐκεῖνον μάλιστα τὸν χρόνον, ὅτι πολλοὶ τῶν βασιλέων περὶ τὰς βιβλιοθήκας σπουδάζοντες, πολλοῦ χρυσίου τὰ ἀπεξενωμένα τῶν βιβλίων ὠνοῦντο. Non mul-

tum ab his diuersa traduntur ab Ammonio, initio Categoriarum. Sed quoniam (ut ait Plinius) plenũ est ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: fateor, hæc & alia ferè omnia quæ ad hoc caput pertinent, me didicisse ab OCTAVIANO FERRARIO, quem ego uirum propter summam & uariam plurimarum rerum cognitionem, uehementer admiror atque colo: qui cum his uacationum temporibus inter nos familiariter colloqueremur, & ei tuam Antapologiam ostendissem, ita statim comiter (ut eius est consuetudo) respondit: Profectò si Aristoteli tantummodo libros illos adiudicemus, de quibus interpretes Græci nihil dubitant (ut Nizolius significat) è cõtrario autem abiudicemus ab eodem omnes eos, in quibus τὸ γνήσιον quæritur: multi ex eis quos habemus, inter uerè Aristotelicos erunt collocandi, reijciendi autem paucissimi. primùm enim, libri de philosophia omnes ad Aristotelem referentur: tum ij qui sunt de rerum natura, & mentibus illis superioribus inscripti, tum pręcipuè in quibus agitur de uita & moribus. Ex interpretibus enim Græcis qui ad hanc diem in uulgus exierunt, nemo est qui dubitet, quin libri quos diximus, ab Aristotele ipso conscripti sint, & posteris ad maximarũ rerum cognitionem relicti, unus tantummodo Simplicius in Acroasi physica, superuacaneum ait uideri, quærere sit'ne opus illud ab Aristotele, tanquam iusta matre natum. Hinc iam ad Diogenem Laertium tuum accedo, in quo auctore quantopere decipiaris, facilè paulo doctior quiuis intelligere potest. Eum enim tribus potissimum de causis ita magnifacis, ut Gręcis interpretibus omnibus anteponas. primò, quòd antiquus fuerit: deinde, quòd libris abnudãs, & copiosus: postremò, quòd doctus & diligẽs. Ac

mihi

mihi quidem in eo quòd antiquum esse scriptorẽ hunc opinaris,non tantum ignorantiam, sed etiam negligentiam summam uideris ostendere : qui ex ipsius Diogenis lectione quem in ore semper habes, nõ illud saltem aduerteris,nullo modo antiquum esse posse, cum recentiores Græcos auctores frequentissimè citet. nam Phauorinum & Hermippum in ore semper habet,quos Adriani tempore uixisse notissimum est. citat etiam Plutarchum, & nonnullos alios recentiores : ut non dubitandum sit,quin tu maximè decipiaris, cum eum antiquum auctorem appelles, qui post eos fuit, quos inter recentiores numerare docti solent. Qua uerò ætate fuerit,incertum est:sed illud planè declarat recentem esse, quòd à nullo scriptore,paulo antiquiore citatur. Multæ tamen coniecturæ sunt,eum post Adriani tempora sub Antoninis uixisse,quo tempore fuit etiam Alexander Aphrodisiensis, uir certè admirabilis, & fidelissimus Aristotelis interpres: cui (quod pace tua dixerim) maior fides adhibenda est, quàm sexcentis Laertijs. Scripsit autem Diogenes uitas illas philosophorum ad fœminã quandam,ut Ludouicus Viues auctor est. Quod uerò Diogenem eundem à librorum multitudine laudas:hoc nihil, aut omnino parui referre omnes intelligunt,quicunq; sciunt,id quod est in prouerbio, uerum esse,Simiam esse simiam, etiam si aurea gestet insignia. neq; enim librorum copia doctũ aut diligentẽ quempiam efficere solet, neq; parui ingenij hominem ingeniosum & acutum reddere:ut, exempli gratia, si tu libros omnes qui Venetijs hoc tempore sunt, solus possideas, esses tamẽ idem qui semper fuisti,Nizolius,hoc est,loquax & ineptus. Eodem modo Laertius Diogenes,quamuis multos habuisse libros uideatur, tamẽ ex

scriptis eum iudicio parum ualuisse, neque multæ eruditionis fuisse cōstat. Verùm tu scriptorem doctum & diligentem eum appellas, atque omnibus Aristotelis interpretibus Græcis anteponis: quod mihi mirum nō est, quippe qui sciam uerissimè ab Heraclito dictum fuisse, Asinos stamenta malle quàm aurum, quemadmodum decimo Ethicorum scribit Aristoteles. 25

At mihi quidem uidetur de isto tuo Diogene Laertio NICOLAVS EPISCOPIVS rectissimè iudicasse: sic enim de illo scribit: Videtur plus studij adhibuisse in cōgerēdo, quàm iudicij uel in deligendo, uel in digerendo. in dictis philosophorum, in quibus plurimum est acuminis, concisior est, quàm optaremus: & interdum ueluti delassatus, fatetur se multa prætermittere. rursus in congerendis epigrammatibus æquo diligentior est, frequenter & suos attexens uersiculos, non multùm ad rem facientes. Hæc Episcopius, & uerè. Si quis enim diligenter aduertat, omnia ferè Diogenis scripta perturbata & confusa reperiet. in rebus autem Aristotelis nihil, aut parùm admodum uersatus esse uidetur: ut non mirum sit, si tam confusè, nulloq; ordine adhibito, librorū Aristotelis catalogum fecerit, & quasi tumultuarium cumulū congesserit. qua in re tam negligens fuit, ut librorum de prima philosophia nullam fecerit mentionem: quos tamen ab Aristotele editos fuisse, cùm alij multi, tum Plutarchus in Alexādro, auctor est. Quin de Animalibus nouem tantum libros Aristotelis nominat, cùm Plinius dicat, quinquaginta uolumina de Animalibus, iussu Alexandri Magni ab Aristotele conscripta fuisse, quæ omnia à se lecta, atq; in arctum collecta confitetur. Omisit præterea Dialogos illos Aristotelis nobiles, de quibus Cicero & Simplicius in Prędicamentis

tis multa. ut interim taceam, unum tantum de Anima librum ab eodem Diogene poni: cum & Alexander Aphrodisiensis, & reliqui boni interpretes tres agnoscãt. & septem tantùm Topicorum, cum octo esse constet. Quæ cum ita sint, exigua sanè fides in hac parte Laertio tribuenda est: qui uel propter inscitiam, uel propter negligentiã, ex operibus Aristotelis alia prętermisit, aliorum inscriptionem immutauit, in alijs numerum librorum uel auxit, uel imminuit. Atq; hæc quidem de Laertio commemorare uolui, ne quisquam eius auctoritate motus, aliquid de Aristotelicis operibus dubitare incipiat: cum apertè constet, & in titulis siue inscriptionibus, & in numero librorum uehementer deceptum fuisse hunc scriptorem: uel quia fortasse inciderat in exemplaria titulis & libris non satis distincta, qualia ex antiquis manuscriptis nos etiam multa uidimus: uel quia uulgata fama contentus, quæ libros eos quos ipse numerat, Aristoteli tribueret: parum diligens fuit in exquirendo, an alij etiam inuenirentur, qui essent Aristotelis. Sed de his satis: alia uideamus. per multas enim ambages fictis & falsis opinionibus Aristotelem propria librorum possessione spoliare contendis, dum eos modò Nicomachi esse uis, modò Epitomas librorum qui fuerant Aristotelis, modò Paraphrases. Sed profectò nihil aliud agis, quàm ut omnes inaniter te garrientem irrideant. Nam primò quod ais, à Nicomacho conscriptos fuisse: totum leue est, atq; nugatorium. nihil enim aliud habes argumenti, nisi, quòd Cicero quinto de Finibus fieri posse ait, ut illi decem Ethicorum libri, qui sub Aristotelis nomine leguntur, Nicomachi filij fuerint. quod quidem à Cicerone nulla probabili ratione confirmatur, sed quadam tantum coniectura proponi-

m 3 tur.

tur. sic enim ait: Quare teneamus Aristotelem, & eius filium Nicomachum: cuius accuratè scripti de Moribus libri, dicuntur illi quidem esse Aristotelis, sed non uideo cur non potuerit patri similis esse filius. Hæc Cicero: in quibus, non omnes qui dicuntur Aristotelis, libros putat esse Nicomachi, sed eos tantum decem, qui de Moribus scripti sunt: quos tamẽ Nicomachi esse nõ posse, facilè ostenditur. nam scripsit quidem Nicomachus sex de Moribus libros, & alia quædã opera, quẽadmodum Suidas narrat: uerùm hos decem qui sunt ad Nicomachum, itidem de Moribus, nullo modo scribere potuit. nam qui libros eos conscripsit, amicus Platonis fuit: quod ex primo libro satis apparet, ubi sunt hæc uerba: τὸ δὲ καθόλου βέλτιον ἴσως ἐπισκέψασθαι, καὶ διαπορῆσαι πῶς λέγεται, καίπερ προσάντους τῆς τοιαύτης γιγνομένης ζητήσεως, διὰ τὸ φίλους ἄνδρας εἰσαγαγεῖν τὰ εἴδη. Cuius loci uerba, quę sunt in extremo posita, Platonem significant, ut Eustratius declarat his uerbis: φίλος γὰρ ὁ Πλάτων αὐτῷ, ἐπεὶ καὶ διδάσκαλος. Quomodo uerò fieri potuit, ut Nicomachus Platonis amicus fuerit, cum ex historijs constet, Aristotelem Platone uiuo filios nõ suscepisse? præterea Nicomachus à patre puer in tutela relictus est, ut ex ipsius Aristotelis testamento cognoscitur. A' primo autẽ anno centesimæ octauæ Olympiadis, quo Plato mortuus est, usque ad Aristotelis mortem, quæ fuit anno tertio centesimæ & decimæ quartæ Olympiadis, anni sex & uiginti numerantur: qua ætate si fuisset Nicomachus, nunquam ei moriẽs Aristoteles tutorem dedisset. nam id ætatis liberi per leges à tutela soluti sunt. Quin etiam auctor est Suidas, Nicomachum Theophrasti fuisse discipulum, ab eoq́ institutum fuisse: unde satis apparet, cum à patre per ætatem erudiri non potuisse. Quare

conclu-

concludendum est, libros illos de Moribus, qui tam accurate scripti sunt (ut ait Cicero) non à Nicomacho filio, sed ab Aristotele patre fuisse conscriptos: quorum cum cæteri quoq; (ut tu confiteris) similē habeant phrasim, & in alijs ferè consentiant, non dubitādum est, eos quoq; esse Aristotelis. Quòd autem censes, hos libros quos habemus, Epitomas librorum Aristotelis esse posse: planè te omni iudicio carere ostendis, qui non animaduertas, Epitomen breuiter omnia perstringere solere: libros autem Aristotelis ita copiose scriptos esse, nihil ut omnino prætermittant, quod ad susceptam materiam pertinere uideatur. Neq; sanè paraphrases esse possunt: sunt enim ualde obscuri, & concisi. paraphrasis autem enodatius & fusius rem explicare solet. Præterea uir summus, Themistius, ridiculè fecisset, si in paraphrases librorum Aristotelis, alias paraphrases cōscripsisset. Verùm dic mihi bone uir, quis istarū opinionum tuarum, quas in medium adfers, auctor est? quis istarum paraphrasium, uel Epitomarum, ex probatis scriptoribus meminit? deinde quis fuit ille nescio quis Peripateticus, qui libros Aristotelis in Epitomas uel paraphrases redegit? quo nomine uocabatur? quo tempore uixit? ex qua ciuitate uel oppido fuit? à quo scriptore nominatur? Quod si nihil istorum explicare potes, non'ne te ridiculū & ineptū cōmentatorem appellare meritò possumus, qui ea fingas, quæ nulla ratione, nulloq; auctore probare possis? Tu igitur tot clarissimorū interpretum librorum Aristotelis testimonio non credes, qui summa cum asseueratione testantur, hos libros Aristotelis esse? Deinde postulabis, ut absurdis commentationibus tuis nos credamus, qui ne unum quidem uersum sine multis erroribus exarare potes?

Nam

Nam in eo etiam plurimũ hallucinaris, magnamq; inſcitiam oſtendis, quòd ante Alexandrum Aphrodiſienſem neminem fuiſſe affirmes, qui libros Ariſtotelis interpretatus fuerit. hæc enim ſunt uerba tua: Quod primò factum fuit ab Alexandro Aphrodiſienſi. nam ante eum nemo, quod ſciatur, hos libros explanauit. Imò uerò permulti ante Alexandrum, Ariſtotelis interpretes fuerunt. nam Alexander ipſe libro de Anima ſecundò, Boethij Sidonij meminit, qui Strabonis familiaris, & ſtudiorum ſocius fuit. idem Alexander in Prioribus, Hermini interpretis meminit: de quo etiam Lucianus in Demonacte, ἑρμῖνε ἀληθῶς ἄξιος εἶ δέκα κατηγοριῶν. quo dicto notauit hominem tanquã flagitioſum, & dignũ multis accuſationibus, habentem ſemper in ore decem Ariſtotelis Categorias. quin etiam alios fuiſſe interpretes Ariſtotelis, præter iſtos, ante Alexandrum, intelligitur ex Simplicio, qui ſic ait in Capite τῶν πρός τι, ubi loquitur de Achaico & Satione: ταῦτα δὲ ἐπιστήσαντες οὗτοι, τοὺς παλαιοὺς τῶν κατηγοριῶν ἐξηγητὰς αἰτιῶνται, βοηθὸν, καὶ ἀρίστωνα, καὶ εὔδωρον, καὶ ἀνδρόνικον, καὶ ἀθηνόδωρον. Porphyrius in Prædicamẽtis, etiam Cornuti, interpretis Ariſtotelis, mentionem facit. Quare uides iam profectò, quæ ſit in his rebus inſcitia tua. Quòd ſi iam ea penitus omnia refutauimus, quibus Ariſtotelem de librorum ſuorũ poſſeſsione deieciſſe te exiſtimabas: uideamus nunc, utrum etiam Logici libri, de quibus nonnulli dubitare ſolent, uerè ſint Ariſtotelis, nec ne: quamuis, ſi mihi libeat, te ad Diogenem tuum reijcere poſsim, qui quidem omnes hos libros Ariſtotelis eſſe confitetur, & eos nominatim appellat: quod tibi ſatis eſſe debet, qui eos demum libros Ariſtotelis eſſe putas, de quibus Diogenes mentionem fecerit. Sed tamen nos idem alijs etiam rationi-

rationibus, quas accepimus à doctissimo uiro, OCTAVIANO, FERRARIO (sicut initio dixi) probare possimus. Quare sic agamus, omnia Logicæ uolumina quadripertitò distinguamus: ac primo loco statuamus Categorias, deinde librum περὶ ἑρμηνείας, tertiò Analyticos priores & posteriores, postremò Topica & Elenchos Sophisticos: de his autem postremis primò dicamus. Esse igitur Aristotelis, Elenchos sophisticos, ostendit non Diogenes aliquis, sed Galenus in libro περὶ τῶν παρὰ λέξιν σοφισμάτων, cuius sententiã confirmat Alexander Aphrodisiensis, qui in eius operis commentario ne dubitat quidem, quin sint Aristotelis. Cum his faciũt Ammonius in libro περὶ ἑρμηνείας, & Philoponus in initio Posteriorum. Quòd si liber hic est Aristotelis, eiusdem esse Topica, concedendum est, Sunt enim coniunctè scripta. nam in Sophisticis Elenchis ad extremũ Aristoteles palàm dicit, se perfecisse, quod initiò propo suerat: subiungens ea uerba, quibus initio Topicorum usus fuerat. quod perspicuè ostendit, esse hos libros Aristotelis. Testes in hanc rem sunt, M. Cicero ad Trebatium, & Plutarchus in principio Symposiacôn, & Alexander in cõmentarijs Topicorum. Sed fortasse obijcies, M. Tullij testimonium fidem minus facere: quoniam etsi ad Trebatium scribens profiteatur se Aristotelem sequi, tamen quos locos ipse tradit, ualde sunt ab eis diuersi, qui octo libris Topicorum comprehenduntur. quamobrem non uideri hos esse Aristotelis. quod non est ita. Si quis enim utriusq; scriptoris Topica diligenter contulerit, inueniet locos omnes quos M. Tullius in suo libro exposuit, partim secundo, partim tertio Topicorum Aristotelis libro contineri. Quare licet M. Tullius in scribendo non eundem ordinem secutus fue

rit, loci tamen ij dem in utriusq; libris notati sunt. Analytici quoq; omnes Aristotelis sunt. nam de posterioribus non est dubitandum: quoniam ipsemet Aristoteles in libro de Moribus ad Nicomachum sexto, mentionem eorum facit: & item in septimo τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ. quod opus Aristotelis esse, Plutarchus censet. Idē affirmat etiā Eustratius, & Philoponus in Posterioribus, & Simplicius in Physicis, & Alexander in Prioribus. De Prioribus uerò Analyticis ideo dubitandum non est, quin sint Aristotelis, quoniā cum posterioribus cōiuncti sunt. quod intelligitur ex initio priorum Analyticorum, ubi sunt hæc uerba: πρῶτον εἰπεῖν περὶ τί καὶ τίνος ἐστὶν ἡ σκέψις, ὅτι περὶ ἀπόδειξιν καὶ ἐπιστήμης ἀποδεικτικῆς. Quæ uerba clausulæ loco posita sunt in Posterioribus ad extremum: sic enim ibi, περὶ μὲν οὖν συλλογισμοῦ καὶ ἀποδείξεως, τί τε ἑκάτερόν ἐστι, καὶ πῶς γίνεται, φανερόν, ἅμα δὲ καὶ περὶ ἐπιστήμης ἀποδεικτικῆς. Quam sententiam confirmat Alexander, Philoponus, Magentinus, quorum extant in eum librum commentarij: Themistius etiam, ut Philoponus refert. Verùm hoc loco dubitas de prioribus Analyticis: quos ideo censes Aristotelis non esse, quia non duos tantùm, sed nouem ab Aristotele scriptos fuisse, Diogenes Laertius memorat. Verùm aut Diogenes uitio librariorum deprauatus est, quemadmodum in nonnullis alijs locis, ut in numero librorum de arte Rhetorica, quos duos tantum fuisse dicit, cum tamen tres sint: item'que Naturalium secundum elementa, triginta octo, legitur apud eūdem, cum tantum octo sit legendum. sunt enim ij libri, qui nunc Physicæ auscultationis inscribuntur: uel certè cum Analyticis prioribus, qui nunc extant, eos etiam coniunxit Diogenes, quos titulo ἀναλυτικῶν ἐνδημέων, in secundo Topi

corum

corum Alexander citat: uel deniq;, quod multis in alijs rebus fecit, hallucinatus est, qui eos Aristoteli libros attribuerit, qui nequaquam sint Aristotelis. Tradit enim Ammonius in Prædicamentis, Ptolemeũ Philadelphũ operũ Aristotelis fuisse studiosissimũ, & undiq; magno precio coemere solitũ: unde factũ sit, ut quidã lucri causa, nothos atq; adulterinos libros pro Aristotelicis ei Regi uenderent: usq; eo, ut in magna illa bibliotheca, quadraginta libri Analyticorũ reperti sint, sub Aristotelis nomine, & duo Prædicamentorum. Sed interpretes, ex ipsis sententijs & dicendi genere, quatuor tantum hos quos habemus, duos priores, & duos posteriores, Aristotelis esse iudicasse, reliquos omnes reiecisse. sed postrema Ammonij uerba libet adscribere, quo res apud omnes testatio sit: ἀμέλει φασὶν, ἐν τῇ μεγάλῃ βιβλιοθήκῃ εὑρῆσθαι ἀναλυτικῶν μὲν τεσσαράκοντα βίβλους, κατηγοριῶν δὲ δύο. ἐκρίθη δὲ ὑπὸ τῶν ἐξηγητῶν, κατηγοριῶν μὲν τοῦτο εἶναι γνήσιον τοῦ Ἀριστοτέλους, ἀναλυτικῶν δὲ τέσσαρα. ἐκρίθη δὲ ἔκ τε τῶν νοημάτων, καὶ τῆς φράσεως. Quibus ex Ammonij uerbis conijcere licet, in Philadelphi bibliotheca nõ tantum omnes legitimos Aristotelis libros fuisse repertos, sed multos etiã qui Aristoteli falso attribuerentur. Sed ad rem nostram. superest enim adhuc liber περὶ ἑρμηνείας, & Categoriæ. De libro περὶ ἑρμηνείας nemo unquam dubitauit, præter Andronicum Rhodium, cuius sententiam multis rationibus confutauit Alexander, & Boethius Seuerinus in editione secunda, item Ammonius, Porphyrius, & alij nonnulli. Quin in tertia libri huius particula, mentio fit de prioribus Analyticis: ut causæ nihil sit, cur hunc Aristotelis esse negare quisquam debeat. Neque sane Categorias quisquam Aristotelis esse negat, cum in alijs operibus Aristotelis huius libri

frequens mentio fiat: id quod etiam Ammonius aſſerit, & Diogenes Laertius hunc cum libro περὶ ἑρμηνείας inter Ariſtotelicos numerat. Alexander Aphrodiſienſis in Prioribus, & in Topicis, Ariſtotelem in Categorijs citat: Themiſtius etiam in libris de Anima, librum hunc ut Ariſtotelicum agnoſcit: & Aurelius Auguſtinus, qui Themiſtium tranſtulit. Hactenus igitur ſit à nobis apertè declaratum, logicos omnes libros, qui ſub Ariſtotelis nomine leguntur, uerè Ariſtotelicos eſſe, quoniam de his tantum mihi tecum certamen erat. De reliquis autem, quoniam nemo ferè eſt, neq; ex Græcis, neq; ex Latinis, qui dubitet, non admodum ero ſolicitus: ueruntamē ut quod ſemel incepi, plenè perficiam, breuiter etiam de illis aliquid dicam. Ac primò quidem tres illos de arte Rhetorica libros Ariſtotelis eſſe, duobus in locis oſtendit Cicero, & in ſecundo de Finibus, in Oratore ad Brutum eos citat. Sed præſtat ipſius Ciceronis ex Oratore uerba recitare. Sic enim ait, cum de Zenone loqueretur: Atq; etiam ante hunc Ariſtoteles principio artis Rhetoricæ dicit, illam artem quaſi ex altera parte reſpondere dialecticæ. Voluit enim Ariſtotelis uerba latinè reddere, qui ſic opus illud incepit, ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. Quin in eis libris frequēter ab Ariſtotele Topica & Analytica citantur, ut de illis dubitare nemo poſſit. Decem Ethicorum libros, Ariſtotelis eſſe, iam ſuprà docuimus: quod ea re magis etiam confirmatur, quoniam in ſexto poſteriores Analyticos ſuos citat: & in primo libro ponit eandem diſtinctionem, quam in poſterioribus poſuerat: atq; etiam in primo Phyſicorum, ut ſimul etiam hos Phyſicæ auſcultationis libros Ariſtotelis eſſe doceamus. eſt autem ea diſtinctio, quot modis aliquid prius aut notius eſſe di-

catur, quam in Ethicis ita ponit: ἀρκτέον μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν γνωρίμων. ταῦτα δὲ διττῶς. τὰ μὲν γὰρ ἡμῖν, τὰ δ' ἁπλῶς. Quam idcirco breuiter posuit, quoniã eã primo Posteriorũ latius exposuerat, hoc modo: πρότερα δ' ἐστὶ καὶ γνωριμώτερα διχῶς. οὐ γὰρ ταὐτὸν πρότερον τῇ φύσει, καὶ πρὸς ἡμᾶς πρότερον. οὐδὲ γνωριμώτερον, καὶ ἡμῖν γνωριμώτερον. Primo uerò Physicorum idem his uerbis explicat: πέφυκε δὲ ἐκ τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν ἡ ὁδὸς καὶ σαφεστέρων, ἐπὶ τὰ σαφέστερα τῇ φύσει, καὶ γνωριμώτερα. οὐ γὰρ ταὐτὰ ἡμῖν τε γνώριμα καὶ ἁπλῶς. De octo libris de Repub. nihil tibi dubitandum est, quin uerè sint Aristotelis, quoniam eos Diogenes tuus agnoscit. neque etiam de illo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inscribitur. nam is etiam à Diogene ponitur. Libros primæ philosophiæ, quæ μετὰ τὰ φυσικὰ inscribuntur, diximus à Plutarcho tanquam Aristotelis agnosci. in quibus doctissima commentaria scripsit Alexander Aphrodisiensis. in eis uerò citantur omnes ferè libri, qui ad philosophiam naturalem pertinent. ut si Methaphysica sint Aristotelis (ut doctissimus quisque sentit) de Physicis nemo dubitare possit. nam in extremo diuinæ philosophiæ libro, suum opus de Physica auscultatione citat Aristoteles, his uerbis: πάντες δὲ ποιοῦσι τὰς ἀρχὰς ἐναντίας, ὥσπερ οἱ τοῖς φυσικοῖς. Locus autem quem citat Aristoteles, est in primo Physicorum libro, ubi probat, omnes philosophos qui ante se scripserunt, quasi coactos ab ipsa ueritate, principia posuisse cõtraria: ὅτι μὲν οὖν τἀναντία πως πάντες ποιοῦσι τὰς ἀρχάς, δῆλον. Præterea primo libro Metaphysicorum, ponit eadem pene uerba, quæ posuerat initio Physicorum. nam in Physicis ita scribit: τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα, καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας, καὶ μέχρι τῶν στοιχείων. Primo uerò Metaphysicorum ita repe-

tit: τότε γὰρ εἰδέναι φαμὲν ἕκαστον, ὅταν τὴν πρώτην αἰτίαν οἰόμεθα γνωρίζειν. Quin eodem in libro ponit eãdem causarũ distinctionem, quam secundo Physicorum posuerat: deinde adiungit, satis de illis, hoc est de causis, disputatum fuisse, ἐν τοῖς περὶ φύσεως. Quocirca dubitari non potest, quin octo Physicorum libri sint Aristotelis. Ad cuius rei probationem plurimos alios locos adferre possem, sed in re tam clara diutius non est immorandum. Iam uerò libros de Cœlo, & de Generatione atque interitu, in quibus frequenter libri Physicorum citantur, Aristotelis esse, perspicuum est: cum præsertim ipsemet Aristoteles quadam quasi enumeratione Meteorologicôn primo, repetat eos libros, quos iam de Naturali philosophia scripserat. Sic enim incipit: περὶ μὲν οὖν τῶν πρώτων αἰτίων τῆς φύσεως, καὶ περὶ πάσης κινήσεως φυσικῆς, ἔτι δὲ περὶ τῶν κατὰ τὴν ἄνω φορὰν διακεκοσμημένων ἄστρων, καὶ περὶ τῶν στοιχείων τῶν σωματικῶν, πόσα τε καὶ ποῖα, καὶ τῆς εἰς ἄλληλα μεταβολῆς, καὶ περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς τῆς κοινῆς, εἴρηται πρότερον. Potest'ne magis Aristoteles ipse clamare, suos esse libros de Physica auscultatione, & de Cœlo, & de Generatione atque interitu: licet Diogenes tuus de illis nihil meminerit? At fortasse dices, libros Meteororum Aristotelis non esse, quoniam de illis nihil meminit Laertius. At apud me longe maioris auctoritatis est Plutarchus, quàm Laertius. is enim tertio libro de Placitis philosophorum, citat Aristotelis sententias, quæ in Meteoris inueniuntur: & Alexander Aphrodisiensis, qui in eos libros commentaria scripsit. Sed ut hæc prętermittam, necesse est ut confiteare, libros Meteororum eiusdem esse, cuius sunt etiam octo Physicorum libri: porrò Physicos libros eiusdem, cuius sunt Metaphysica, quod ex ijs quæ iam diximus,

necess-

necessariò sequitur. Quum autem sine dubitatione, Metaphysica sint Aristotelis: sequitur, ut etiam Meteora, & qui citantur ibidem, Aristotelis sint. De Anima uerò quamuis unum tantum Aristotelis librum Diogenes citet, tamen non dubium est, quin tres uerè sint Aristotelis. Sed illud mirandum mihi uidetur. cum enim unum tantum de Anima librum Diogenes posuisset, non ita multo pòst animæ definitionem ex Aristotele citat, quæ est in secundo de Anima: ut fortasse dicendum sit, opus illud in tres libros postea digestum fuisse, cum unus antea tantum esset: quemadmodum recentiores, libros etiã in capita diduxerũt, quod apud antiquos nõ fiebat. Vtcunq; sit, totũ illud opus Aristotelis esse constat: quod uel Macrobij testimonio probari potest, qui Aristotelis argumenta contra Platonem, quæ primo de Anima posita sunt, refutare cõtendit. Ita uerò colligati sunt illi tres libri, ut initio secundi repetãtur eà breuititer quæ primo libro dicta sunt: & initio tertij, quæ dicta sunt in secundo. quo fit, ut nullo modo distrahi possint: atque ideò fortasse unum tantum Diogenes esse censuit. Sed Alexander, Philoponus, Simplicius, Themistius, & alij, nõ unum, sed tres numerant. Quę uerò Parua naturalia dicũtur, Aristotelis omnia esse, declarat illud, quod ipsemet Aristoteles post libros de Anima, cum opus de Sensu & sensili aggrederet̃, dixit se iã de anima & de eius potẽtijs scripsisse: deinceps uerò uelle se de Sensu, de Memoria, de Sõno & uigilia, de Iuuẽtute & senectute, de Spiratione & respiratione, de Vita & morte, & de reliquis quibusdã scribere: quod (ut uidemus) etiã præstitit. De libris Animaliũ qui plurimi sunt, nihil opus est dicere, cũ uulgatissimũ sit, ab Aristotele iussu Alexandri conscriptos fuisse.

Plinius fatetur, à se quinquaginta libros Aristotelis de Animalibus lectos fuisse: uerùm hoc tempore uiginti tantum in manibus sunt, nempe de Historia animalium libri nouem, licet aliqui decem esse uelint. de Partibus animalium, libri quatuor. de Generatione animalium, libri quinque. de Communi animalium motione, liber unus. de Communi animalium gressu, liber unus. De reliquis uerò libris qui Aristoteli tribuuntur, ut Problemata, Rhetorica ad Alexandrum, de Mundo, de Mirabilibus, & si qua sunt alia, nihil disputo: quoniã ad rem nostram nihil faciunt. Satis enim mihi est ostendisse, quod huius disputationis initio proposueram: primò, ueram illam, quam tantopere laudat Cicero, ueterum dialecticam, hoc nostro tempore reperiri: deinde, Peripateticorum atque Academicorum philosophiam adhuc extare, quæ duobus capitibus superioribus probata sunt: postremò, pleraque eorum quæ sub Aristotelis nomine leguntur opera, uera ac legitima Aristotelis esse, quod præsenti Capite docuimus. Quibus ita positis & confirmatis, nihil amplius tibi superesse uideo, nisi ut planè fatearis, usque eò te odio nostri obcæcatum fuisse, ut quid chartis illineres, quo tempore contra me scribebas, nõ satis aduertere potueris: atque idcirco tam inscienter & turpiter delirasse.

Non satis probatum à Nizolio, Paradoxa Stoicorum esse Socratica: atque ibidem, sibi ipsum bis turpiter contradicere. Caput XIIII.

Ecce autem in medium tandem progrederis cum historia illa, qua tanquam Atlante cœlum, uniuersa tua defensio nititur: eademque repetis, quæ in superiore uolumine posueras: licet multa addas, adimas, immutes, ut uerisimilius mentiri posis, non fideliter à me di-

cta tua fuisse recitata. Sed licet tanquam Proteus quidam in omnia tete transformes miracula rerum, tamen ego non aliter atque Aristæus, ita te tandem deuinciam, ut grauiter frendens te uictum ac prostratum agnoscas; neque enim amplius ea negare poteris, quæ in Antapologia tua cum importunissimi conuiciatoris perpetua nota publicasti. Sed antequam aggredior ad hanc partem tuam euertendam, lectores omnes admonitos uolo, me certum habere, aliquo modo probari posse, Paradoxa Stoicorum esse Socratica: quemadmodũ in commentarijs quos in Paradoxa Ciceronis scripsi, & in quibus sigillatim Antiparadoxis respõdi multis rationibus & exemplis confirmaui: ubi etiam quæ ex Platone contra sentẽtiam hanc citantur, accurratè sum interpretatus. Verùm enimuero hoc à te neque in Primo uolumine tuo, neque in Secundo satis probatũ fuisse contendo. primò quoniam historia illa, quam & in Primo & in Secundo libro tuo citas, & qua una fretus, te omnia argumenta mea putasti posse euertere, neminem credere cogit, hæc Paradoxa esse Socratica. nullius enim momẽti, nullius ponderis est hoc argumentũ, quo tu solo uteris: Stoici putant se Socraticos esse, ergo sententiæ Stoicorum sunt Socraticæ: quod in Apologia mea satis (ut opinor) copiosè probaui. Deinde, quia rationes quas in Secũdo uolumine protulisti, captiosę sunt omnes, & elabendi studio, non probandi causa cogitatæ. Quas priusquàm euerto, libet parũper irridere leuitatem tuam, qui mendacissimè fingis, à me immutata & inuersa dicta tua, ut ampliorem contradicendi facultatem haberem: atque hoc non alia de causa fingis, nisi quia tu id facere cogitaras, ne hoc ego te crimine possem uicissim insectari, qua in re mihi uisus es imperitos rusticos, aut

pueros imitari: qui cum in aliquo sunt uel animi, uel corporis uitio, atque eis accidit cum aliquibus altercari: statim uitium illud aduersarijs obiectare præoccupant, ne uerum ipsi conuicium audiant. Verùm dic mihi mi uetule, bis puer, ubi est in Apologia mea sentētia illa, quā mihi falso attribuis? ubi hęc ego uerba dixi: Fateor Stoicos Philosophos fuisse Socraticos, sed eorū paradoxa nego esse Socratica? profer locū huius cōfessionis, aut negationis meæ. Verùm ideo proferre non potes, quoniam id ego nusquam dixi: sed tu tanquam araneus, ex te ipso malignè finxisti: uel certè uim argumentorum meorum, sicut etiam alijs in locis, non intellexisti. Mihi enim in ea Recusatione propositum fuit ostendere, nō satis à te probatū fuisse, Paradoxa esse Socratica, quod etiam nunc affirmo: atque ideo non necessariò sequi dicebam, etiam si quis cōcederet Stoicos fuisse Socraticos, ut etiam Paradoxa sint Socratica. Hæc fuit sententia mea. nusquam autem ego fateor Stoicos fuisse uerè Socraticos: neque usquam in Apologia nego planè Paradoxa esse Socratica: sed hoc à te probatum non fuisse, demonstro. quare mendacia tua non potes amplius occultare, neque quisquam tibi fidem habere posthac poterit, qui tam apertè, tamque impudenter te mentiri uideat.
Quid ergo (inquies) Stoici non sunt Socratici? Primò hoc respondeo, quod uel puero perspicuum est, plurimum differre, si quis dicat, Stoici sunt Socratici: & si dicat, Stoici dicuntur Socratici. Sicut aliud est, esse Christianum: & aliud, dici Christianum, esse Philosophum, dici Philosophum. multi enim Christiani dicuntur, qui re uera Christiani non sunt: & multi uocantur Philosophi, qui uerè non sunt Philosophi. Quare licet cōfitear Stoicos fuisse dictos Socraticos, dubitare tamen cum

Cice-

Cicerone possum, an uerè Socratici fuerint. Quòd autē Cicero dubitet, declarat ille locus ex tertio de Oratore, ubi ita inquit: Cum tamen omnes se Philosophos Socraticos & dici uellent, & esse se arbitrarētur. Volebant igitur dici, & putabant se esse Socraticos, utrum autem re uera fuerint, non definit Cicero: neq; sanè Diogenes Laertius, cui tu uni maximè cōfidis: quin potius innuere uidetur Laertius, diuersam à Socrate uiam secutos fuisse Stoicos. Nam duo Philosophorum genera fuisse tradit, quorū alij Dogmatici, alij Ephectici dicerentur. Ephectici sunt, inquit, qui nihil definiunt, & de rebus ita disputant, ut comprehendi non posint: Dogmatici, qui de rebus, ueluti comprehendi possunt, disserunt. Non est autem dubitandum, quin Socrates Ephecticus fuerit, quippe qui nihil unquam affirmatè proferre soleret: at uerò Stoici, Dogmatici sine dubio sunt, quoniam (ut satis constat) plurima confirmant. hac igitur ratione (ut uides) Stoici non sunt Socratici. Præterea Socrates nihil de rerum natura disputabat, sed ea tantū quæ ad mores conformandos, & uitam honestè instituendam attinēt, studiose pertractabat: Stoici uerò de naturalibus rebus multa tradiderūt, ut Plutarchus, Diogenes Laertius, Cicero, multiq; alij declarāt. quare neq; hac in parte Stoici fuere Socratici. Quid? quòd Zeno Cittiæus, & à Cicerone multis in locis, & à pluribus alijs inuentor & princeps Stoicæ disciplinæ dicitur? quo modo igitur Stoicorum disciplina potest esse Socratica? repugnant enim hæc, inuentam esse primùm à Zenone, qui multo post Socratem natus est, & esse Socraticam. Sed, ut quod sentio dicam, non ideo Stoici dicti sunt Socratici, quòd Socratis doctrinam tantum amplecterentur, cum ipsi multa commenti fuerint, quæ Socra

tes nunquam dixisse traditur (quo in numero sunt illa omnia, quæ de rerum natura scripserunt, & quæ de Dialectica subtilissimè disseruerunt) sed quia mores & uitam Socratis, eiusq; de Virtute sententias imitari se arbitrarentur. Vt autem concedamus fuisse Socraticos, quod ipse uides quàm dubium sit: dico non statim sequi, ut Paradoxa etiam sint Socratica, quia nusquā legitur Socrates hęc affirmasse, aut pro ueris posuisse. nulla uerò sententia cuiusquā dici uerè potest, quam auctor ipse nō affirmādo protulerit. Quòd si Socratis sunt hęc Paradoxa, cur igitur passim apud auctores non Socrati, sed Stoicis attribuuntur? cur Cicero ipse pro Muræna, cum hæc facetissimè ridet, non Socratem, sed Zenonem auctorem appellat? Fuit enim (inquit) quidam summo ingenio uir Zeno, cuius inuentorum æmuli Stoici nominantur. Audis'ne Ciceronem, horum admirabilium non Socratem, sed Zenonem inuentorem citare. Quid? quarto de Finibus, non'ne Zenonem ait à præceptoribus suis desciuisse? non'ne ipsum Zenonem Paradoxorū auctorem facit? non'ne etiam nonnulla eorum refutat? Cur passim irridentur Stoici, non Socrates, quòd dicant, Solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos: si mendacissimi, diuites: si seruitutem seruiant, reges? omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse nefariū? nec minus delinquere eum qui gallū gallinaceum, cùm opus nō fuerit, quàm eum, qui patrē suffocauerit? Cur inquam, nullo in loco Socrates his de rebus irridetur? satis'ne hoc tibi uidetur argumenti, Socratis has non esse sententias? uerùm hæc prætermittamus, quæ sunt à nobis alio in loco disputata. Videamus nunc tuum acumen in disserendi ratione, quam te solum hoc tempore tenere, nescio utrùm arrogantius, an

stolidius

stolidius iactes. Primò sumis tanquam planè tibi cõcessum, Stoicos esse Socraticos: quod, ut suprà demonstraui, maximè dubium est. deinde argumẽto à remotione partium uteris, quod tamen (ut ipsa res indicabit) insulsissimè tractas. Hæc igitur est propositio tua: Si Stoici Socratici sunt, inquis, necesse est aut unam, aut plures, aut omnes, aut nullas eorum sentẽtias fuisse Socraticas. sit ita sanè. Quid deinde? nullas dicere non conuenit: tolerari hoc potest. omnes autem dicere Socraticas, & si fortasse non necessarium, tamen multam habet ueri similitudinẽ. Hîc te uolo, mi uetule. dico te hoc loco turpiter delirare: teq́ tibi, sicuti etiam paulo inferius, esse contrarium. Prius enim dicis, multum esse uerisimile, Sententias Stoicorũ omnes esse Socraticas. negare non potes. Quid postea? non'ne conaris ostendere, omnes esse Socraticas? O crassum & pinguem hominem, qui tantam uerborum suorum repugnantiam non uideat. Clama nunc, si potes, à me uerba tua commutari, sententias inuerti. præcisa tibi est hæc excusatio: non potes amplius ignorantiam tuam occultare. Est in manibus ἀϰαπολόγητος Antapologia tua. possunt omnes eam, non tamen sine nausea, legere. Dic ergo mihi, non'ne prius ais multam habere uerisimilitudinem, dicere, sentẽtias Stoicorum omnes esse Socraticas? certè ais. Quid tum? non'ne dicis, necessariò nos cogi, ut confiteamur non omnes esse Socraticas? ita est. Quid ergo magis repugnans esse potest? nam qua ratione fiet, ut quod necessarium est non esse, id ualde uerisimile sit esse? aut contrà? certè ego non uideo, neque tu probare potes. ut si quis diceret: Necessarium est confiteri, non omnes homines esse bonos: nulla ratio est, cur omnes esse bonos ualde uerisimile sit, imò hæc nullo modo stare simul pos

ſunt. Verùm adiungis: Vnam tantùm Stoicorũ ſententiam dicere Socraticam, pluſquã fatuũ eſt. qua de cauſa Nizoli? nullam enim rationem addis, quare fatuum hoc eſſe uideatur: ſed poſtulas, ut tibi tanquam Sibyllæ furenti credamus. At mihi hoc quod tu pluſquam fatuũ dicis eſſe, uidetur innuere Cicero, cum ait, ab Antiſthene, qui patientiam & duritiam in Socratico ſermone adamarat, Cynicos primò, deinde Stoicos manaſſe: ut patiẽtiam tantùm Socratis imitati fuiſſe Stoici uideantur. quod ſi ita eſt, pluſquam fatuum per imprudentiam Ciceronem appellas. Sed concedamus, plures eſſe: probas'ne in eis eſſe Paradoxa? non, inquis. nã nullum auctorem habeo, qui hoc affirmet, niſi quod Stoici Socratici ſunt. & Tullius id confirmat. O ioculares ineptias. his argumẽtis à te probatum putas, Paradoxa eſſe Socratica. nihil enim prorſus aliud in hãc ſententiam adfers. hęc eſt præclara defenſio tua: Paradoxa ſunt Socratica, quia Stoici Socratici dicti ſunt. Admirabilem uerò diſputatorem, qui neſciat adhuc, argumentum à nomine ſumptum, omnium eſſe leuiſsimum. Sed ais me nullum auctorem habere, qui neget Paradoxa eſſe Socratica. Equidem Nizoli facere non poſſum, quin tui ualde miſerear: cum te tã inſipienter gerere uideam, ut omnibus ludibrio ſis futurus. Quod ſi me ita defendere poſſem, ut opprobria tua non aperirem, libentiſsimè facerem, tibi'que, licet inimico, multa condonarem. Sed quoniam hoc fieri nullo modo poteſt, omnis eſt honeſta ratio expediendæ dignitatis. Quomodo quęſo hoc audes dicere, nullum auctorem à me proferri, qui oſtendat Paradoxa non eſſe Socratica? cum tot in locis à Platone Socratem aliter ſentientem induci declararim? parum'ne multos ex Platone tibi citaſſe locos

uideor,

uideor, qui Paradoxis contrarij sint? an locupletiorem auctorem quæris, quàm ipsum Platonem? apud quem tot in locis Socrates aperta uoce clamat, illa Paradoxa nō esse sua? Quem igitur auctorē fide dignum putas, si Platonem nō putas? aut qua fronte meā negationē ais, omni prorsus ratione atq; auctoritate destitutā? cum tot argumenta, tot exēpla, tot testimonia protulerim, quorum ne unum quidem tu euertere potuisti? At uerò tuę uidelicet refutationes magna ratione nituntur, qui ais consectarium esse, si quis dicat tyrannos esse impios, & Pœnos esse fœdifragos, ut etiam omnes Tyrannorum actiones impiæ sint, & Pœni in omnibus rebus fidem frangant, nisi quis in utroq; probet contrariū: quæ certè nō refutationes, sed meræ delirationes sunt. Quis enim nescit, nullam esse tam absurdam argumentationē, quę si concedatur ab omnibus, & nemo contrarium probet, nō fidem faciat? aut quis est adeò stupidus, qui concedat omnes tyrannorum actiones esse impias, etiam si tyranni impij sint? Nemo certè cōmunis sensus particeps est, quin intelligat tyrānos & dormire, & uigilare, & ambulare, & sedere, & stare, & comesse, & bibere, & plurima alia facere, quæ nihil in se, quatenus talia sunt, impietatis habent. aut igitˉ probes, has nō esse actiones: aut concedas, quod insulse negasti, non omnes tyrannorum actiones impias esse, necesse est. Idem dico de Pœnis fœdifragis, de Italis Christianis, & si qua sunt alia similia, à me posita, quæ tu solito more tuo quoniam refellere non potes, uituperas. At ego iterum affirmo: quemadmodum non sequitur, si quis dicat, Itali sunt Christiani, ergo omnes Italorū sentētię Christianę sunt: ita non esse consequens illud tuum, Stoici Socratici sunt, ergo omnes Stoicorum sententiæ sunt Socraticæ.

cæ. Sed à me petis, ut contrarium probem: quod equidem libenter faciam, si prius ostendero, quàm inconsiderate, quamq́ pueriliter iterum tibi ipse contradicas. Dic mihi diserte uetule, quoniam supra modum tu tibi disertus uideris, sunt'ne hæc effata contradicentia: Nõ omnes Stoicorũ sententiæ Socraticæ sunt, omnes Stoicorum sententiæ sunt Socraticæ? Potes'ne dicere, hæc non esse negantia, quæ Græci ἀποφατικὰ uocant, ut in Topicis ait Cicero? Sunt enim, ais, negantia. quid tum? possunt'ne hæc simul esse uera? Non sanè unquam, ut Aristoteles, atq́ Cicero multis in locis affirmant, & ipsa nos ratio docet. Ergo si unum uerum est, ut alterum falsum sit, necesse est: & contrà? omnino. Quid? si quis utrumq́ eorum uerum esse dicat, non'ne præ se maximã ignorantiam & fatuitatem ferat? ita prorsus existimandum est. Agè uerò uideamus miram subtilitatem tuam, & uerba tua recitemus. prius enim ais: Non omnes Stoicorum sententias Socraticas esse, cõfiteri necessariò cogimur. Quid deinde? non'ne ita multo pòst ais: Cum constet Stoicos fuisse Socraticos, sequitur ut omnes eorum sententiæ fuerint Socraticę. sunt'ne hæc uerba tua? hic'ne est sensus tuus? Aude, aude hoc negare, quod omnes uidere possunt: quod non tantum dicis, sed etiã pluribus ineptijs probare contendis. Et quod magis etiam stuporem tuum ostendit, cum tu ipse fatearis esse necessarium confiteri, nõ omnes Stoicorũ sentẽtias esse Socraticas: tamen à me petis, ut hoc probem: quo quid infantius excogitari potest? quid expectas amplius? num, ut te stimulis fodiam? hæc, si quid habes hominis, te lacerat, hæc cruentat oratio. Potest'ne quisquam sibi ipse magis contradicere? potest'ne maiorem ignorantiam præ se ferre? potest'ne inconsideratius in scribendo

bendo chartas perdere? Quid ergo Nizoli? possem'ne ego meritò hoc loco conuicia illa in te retorquere, quæ tu non aliqua de causa, sed morbo tantum procacitatis in me coniecisti? possem'ne te iustè belluam, bestiam, sycophantam, nebulonem, balatronem, fanaticum, attonitum, multisq; alijs nominibus huius generis appellare? Sed non faciam: sinam te huiusmodi uti defensionibus: cum alias meliores excogitare non posis. Mihi satis est, ut eruditi omnes tuam infantiam rideãt, qui duo negantia pronunciata simul uera esse posse tibi persuadeas: atq; hoc disputandi genere te optimum fore Ciceronis patronũ existimes. Hæc nimirum est illa tua dialectica, quam ab inferis reuocasti: qua ueteres illi Academici atq; Peripatetici utebantur: quam tu scilicet nouus Zeno Elates, non aliter atq; Orpheus Eurydicen suam, è faucibus Orci deduxisti. hoc acumine fretus, Dialecticam nostri tẽporis uniuersam improbas, quoniam cum ista tua tam subtili disserendi ratione nõ conuenit. Nam quod à me flagitas, ut doceam, aliquã Stoicorum sententiam non fuisse Socraticam, uno tibi uerbo respondeo, non unam, sed plurimas Stoicorum sententias non Socraticas fuisse. quæcunque enim de naturæ obscuritate Stoici senserunt, quæ plurima sanè atq; uaria sunt, ut apud Ciceronem, Plutarchum, atq; alios auctores uidere licet, ea omnia non possunt esse Socratica: quoniam de naturalibus rebus nihil disputare Socrates consueuerat: atque illud in ore frequenter habebat, Quæ supra nos, nihil ad nos. itaq; omnis eius oratio, de uita atq; moribus erat. unde primus, è cœlo moralem Philosophiam deuocasse dictus est.

Socratem non inconstantem fuisse, ut eum fingit Nizolius: sed in eadem semper mente atque sententia constitisse, licet contra aliorum opiniones in contrarias partes disputaret. Cap. XV.

IAm uerò quòd ais Socratem maximè inconstantem, & tanquam Proteum quendam fuisse, qui modò hoc, modò illud sentiret, & in una sententia nunquam persisteret: more tuo facis, hoc est impudenter, ac sine ratione garris. cum ad unum historici ac cæteri auctores omnes uno ore fateantur, mirificā in Socrate fuisse constantiam, eadem'que semper mente sententia'que constitisse. Qua de causa factum sit, ut ab Apollinis oraculo sapientissimus omniū iudicaretur, quòd præter honestatem, diceret in uita nihil homini magnopere curandum: quòd eos frequenter irrideret, qui naturę secreta studiose scrutarentur, mores autem ac uitam honestè componere non studerent. Homines enim affirmabat unam quandam esse deorum possessionem, quibus animus datus sit immortalis: post mortem uerò bonis bene, malis malè futurum: ideo, præter culpam & peccatum, homini posse nihil accidere, quod sit horribile ac pertimescendum. Hæc fuit constans atque perpetua Socratis sententia: neque unquam aliter his de rebus sensisse traditur. Hac constantia ductus ad mortem, patronum causæ suæ non quæsiuit: quoniam certum habebat, quod ipse in Apologia sua dixit, homini probo nihil mali, neque uiuo, neque mortuo accidere posse. Quòd igitur tam contumeliose, tamque procaciter à me petis, ubi legerim, Socratem non solum eodem uultu, sed etiā eadem mente semper fuisse, atque hæc uerba adiungis: Ego quidē quod de uultu ais, memini me legere apud Ciceronem, at de mente nusquā legi, nec te legisse opinor:

nor: mirari satis non possum uel stoliditatem, uel negligentiam tuam. Quid enim primò stolidius esse potest, quàm existimare, quod tu non legisti, neq; alterum legere potuisse? quid deinde negligentius, quàm ex duobus, quæ eodem in loco dicuntur à Cicerone, alterum legere & obseruare, alterũ uerò non legere, & ideo putare nusquã esse? sed heus tandem ueternose uetule, excute, si potes, ἰωλοκρασίαν istam, & paulisper oculos aperi, ut uideas quid tertio Tuscul. scribat Cicero, cuius hęc sunt uerba: Hic est enim ille uultus semper idem, quem dicitur Xanthippe prędicare solita in uiro suo fuisse Socrate, eodem uultu semper se uidisse exeuntẽ illum domo, & reuertentem. nec uerò ea frons erat, quæ M. Crassi illius ueteris, quẽ semel ait in uita risisse Lucilius, sed trãquilla & serena: sic enim accepimus. iure autem erat semper idem uultus, cum mentis, à qua is fingitur, nulla fieret mutatio. Audis'ne conuiciator importunissime, Socratem, teste Cicerone, non tantum eodem uultu, sed etiam eadem mente semper fuisse? quod quia dixeram in Apologia mea, tu omnium homo procacissime, non erubuisti me imperitissimum, & belluam appellare. Quid? quòd Diogenes Laertius ille tuus, quẽ ita diligenter, uti Ciceronem legisti, hoc idem affirmat, cuius hæc sunt de Socrate uerba: Erat autem constantis animi, inuictæq; sententiæ. Fieri'ne potest, ut adeò pudorem omnem exueris, atq; adeò durum os habeas, ut tantæ istius negligentię, petulantiæq; tuę nõ saltem subpudeat? Pro Deûm atq; hominũ fidẽ, quo cum trunco, qua cum furia mihi res est? qui Socratẽ ideo putet inconstantem, & tanquã Proteum quendam fuisse, quia contra aliorũ opiniones in utramq; partem disputare consueuerat: neq; aduertat, quod auctores omnes

prædicant, Socratem ipsum frequentissimè suam sen-tentiam occultare solitum, & ita differere consueuisse, nihil ut ipse penitus scire, sed de omnibus dubitare uideretur. qua de causa εἴρων, hoc est dissimulator appellatus fuit: quia quæ optimè sciebat, ea scire se dissimulabat. quod etiam primo Tuscul. Cicero ostendit: cum enim uerba Socratis ex Apologia Platonis multa recitasset, tandē illud addit: Næ ego haud paulo hūc animum malim, quàm eorum omnium fortunas, qui de hoc iudicauerunt: & si quod, præter Deos, negat scire quenquam, id scit ipse, utrum melius scit. nam dixit antè: Sed suum illud, nihil ut affirmet, tenet ad extremū. Sciebat igitur multa Socrates, quæ non affirmabat, ut pro consuetudine sua cōtra aliorum opiniones differeret. facilè enim fieri potest, ut quis alicuius rei certam scientiam ac sententiam habeat, & de eadem re tamen in utramq; partem disputet. quod cum palàm faceret Socrates, & interrogationibus suis, eos quibus'cum differebat, irretitos teneret, atq; etiam sibi ipsos contraria dicere cogeret: ideo (quemadmodum diuus ait Augustinus) summum bonum quod esset in Socraticis disputationibus, non euidenter apparuit. Itaq; factum est, dum ille interrogādo omnia moueret, assereret, destrueret: ut quod cuiq; placeret, inde sumerēt, & ubi cuiq; uideretur, finem boni constituerent. & hoc est, quod ait Cicero, proseminatas fuisse quasi familias dissentientes inter se, & multùm disiunctas ac dispares: non quia Socrates (ut tu falsò existimas) modò unius, modò alterius esset sententiæ, quod inconstantissimi est hominis: sed quòd (ut ait Cicero primo de Inuentione) nihil ipse afferre ad persuadendum uolebat, sed ex eo quod sibi ille dederat, quí cum disputabat, aliquid conficere malebat,

quod

quod ille ex eo quod iam concesſiſſet, neceſſariò appro bare deberet. quò fiebat, ut uarijs, & in omnẽ partem diffuſis diſputationibus uteretur, in quibus multa eſſent, de quibus eſſet dubitandum, & quæ aliter alius apprehenderet. Idem enim accidit anteà Socraticis Philoſophis, quod poſteà Chriſtianis hominibus. nam ut eorum, multi qui Chriſtũ ſecuti ſunt, eo quòd eius ſententiam non rectè percepiſſent, in uarias ſectas atq; hæreſes abierunt, ut Ebionitæ, Arriani, Helcheſaitæ, Manichęi, Nicolaitæ, Meſſaliani, plurimiq; alij, cum tamẽ dici uellent, & eſſe ſe arbitrarentur Chriſtianos: ita Socratis ſectatores, atq; etiam multo magis, quia non apertè Socrates, ut Chriſtus, loquebatur, non rectè percepta Socratis ſententia, diſſentire inter ſe, & in uarias opiniones abire cœperunt: ut Elidenſes, Megarici, Cyrenaici, Cynici, Stoici, qui tamen omnes ſe Socraticos appellarunt. At tu laruis quibuſdam me territare ſtudes, & captioſis interrogationib. illaqueare. petis enim, quomodo potuerit Socrates de omnibus rebus in contrarias partes, diſputare, ſi in una ſententia ſemper ſibi conſtabat: quaſi uerò hoc ſit ἀδύνατον, uel (ut ita dicam) impoſſibile. Quis enim neſcit, aliud eſſe loqui, aliud ſentire? quæ duo ſic in tota diſputatione tua confundis, ut abſurdiſsimè concludas: non poſſe quenquam aliud ſentire, aliud loqui: quod quàm ineptum ſit, profectò omnes intelligunt. potuit igitur Socrates in una ſententia ſemper conſiſtere, & tamen contra aliorum opiniones in utramq; partem diſputare. Quòd autẽ adiungis, aliquando ſolitum fuiſſe Socratem ad capeſſendas corporis uoluptates diſcipulos adhortari, & animũ eſſe mortalem confiteri, uelim hoc alicuius probati ſcriptoris auctoritate probes, non autem ita temerè ex te ipſo fingas, &

quicquid in buccam uenit effutias. præclarum uerò magistrum morū uis fuisse Socratē, qui ideo moralem Philosophiā de cœlo deuocarit, ut deinde discipulos suos crapulari, lasciuire, scortariq; doceret: atq; animum unà cum corpore interire prædicaret. Sed nimirū cum nihil habeas, quod argumentis meis uerisimiliter opponas, mauis sine ratione nugari, quàm prudenter silere. quid enim probationis affers, quòd Socrates idem senserit de summo bono, quod Aristippus: & de animorum mortalitate, quod Stoici? nihil sanè aliud, nisi quòd Socrates contra omnium opiniones dissereret, & omnia asseveret, omnia destrueret. O mirè conclusum argumentum: Socrates in contrarias partes disputabat, ergo etiam cōtraria sentiebat. Potest ne tibi uideri hoc esse consequens? perinde quasi nemo possit aliter disputare, quàm sentiat: aut non constanter affirment omnes scriptores, Socratem in ea sententia semper fuisse, ut crederet animum esse immortalem, uerasq; uoluptates in animo esse, non autem in corpore. Sed me iamdudum pudet, istas ineptias tuas refellere. Quare quæ supersunt, in altero libro deinceps exponemus.

LIBRI PRIMI FINIS.

M. An.

M. ANTONII MAIORAGII

REPREHENSIONVM LIBER SEcundus, contra Marium Nizolium Brixellenſem.

Nizolium & imprudentis & maleuoli officio functum, in ſuſcipiendis contra me inimicitijs. Caput I.

NIHIL equidem unquam Nizoli magis admiratus ſum, quàm te, quem alicuius inter literatos nominis eſſe uidebam, tanto ſtudio mecum, qui te multum (ut ingenuè fatear) obſeruabam, certamen ſuſcipere uoluiſſe: ut me primùm ſiniſtro ſermone carperes, deinde contumelioſis etiam ſcriptis prouocares, poſtremò quibuſcunq; poſſes, maledictis publicè lacerares. Sed profectò nemini mirum eſſe uidebitur, ſi cum perpetuo tuo dedecore uictus à me, ſuperatuſq; diſceſſeris: cum in ſuſcipiendis mecum inimicitijs & imprudentis & maleuoli hominis officio functus fueris. imprudẽtis primò, quia ſummo quodam liuore, miraq; maledicendi libidine cęcus, quid iſtam ætatem tuam deceret, non aduertiſti: neque cogitaſti turpiſsimum eſſe tibi, homini ſexagenario, aut etiã fortaſſe natu grandiori, ſine aliqua graui cauſa contra eum, qui uix dum tertium ac trigeſimum annum attigerit, & qui tibi ſemper ex quo te cognouit, amicus fuerit, tua ſponte tam petulanter inſurgere. Sed inquies hoc loco: Parum'ne grauis tibi cauſa uidet̃, quòd pro Cicerone tibi factus ſim inimicus? Imò uerò hoc (ut antea docui) falſum eſt. Sed fac ita eſſe: non'ne tamẽ imprudentiſsimè te geſsiſti, qui cauſam quam ſuſcipiebas,

bas, longè tuis uiribus superiorem esse non cōsideraris? Cum enim multa subtiliter ac philosophorum more essent in Antiparadoxis meis disputata, tu qui nullā esse dialecticā hoc nostro tempore putas, propterea quòd eam nunquam degustasti, fretus una tantum historia, quam apud Diogenem Laertium annotaras, ea sperasti posse te omnia argumenta mea subuertere. Qua in re planè rusticum illum imitatus es, qui reperta quadam semifracta catapulta, cogitare cœpit, aliquod egregium per eam facinus aggredi. itaq; munitissimam oppugnare ciuitatem adortus est. sed paulo pòst multis uerberibus cæsus, cum omnium irrisione discessit. Quærat enim, quicunq; uoluerit, in duobus tuis rabiosis ad me uoluminibus: & si quid aliud quod ad defensionem Ciceronis faciat, inuenerit, præter illud, quod tamen leuissimum est, à Socrate tanquam à capite diuersas philosophorum scholas profluxisse, in quibus sint etiam Stoici: tunc mendacem & improbum me apellet. Cum autem argumentis meis nihil te respondere posse uideres, mirificam te in latebrā coniecisti, ausus'q; es dicere, dialecticam nostri temporis non esse bonam, neque bene differendi artem, sed ineptam & garrulam disciplinam. qua in re non me, qui non dialecticam, sed artem oratoriam publicè profiteor, uerùm omnes qui sunt ubique nostro tempore dialecticos atq; Philosophos, iniquissimè lacerasti: quos tamen ego iam superius tutos à calūnijs & imperitis nugationibus tuis præstiti. Nunc autē de imprudentia tua uerba facio: quæ inde etiam maximè perspicitur, quòd relicto Ciceronis patrocinio, me ad alias quasdam disputationes, nihil ad propositum facientes, auocas. quibus tamen, ne certamen subterfugere uidear, partim iam respondi: partim etiam ita respon

debo,

debo, ut tu non sine summa atque perpetua tarditatis & ignorantiæ nota discedas. Quid? illud quantam imprudentiam tuam ostendit, quòd eum, qui propter amicitiam aliquando tecũ initam, tua furta, tuos errores, tuam denique imperitiam tacebat, tam temerè atque inconsideratè prouocaris: ut tibi iam fucatã personã detrahat, & oris tui deformitatem, ulcera, pustulas, uitiligines, lichenes, mentagrã, uomicas omnibus ostẽdat? Maleuoli uerò hominis, atque ipsa improbitate ieiuni, non leue specimen dedisti, quòd tam hostili animo scripta omnia mea sine ulla ratione uituperes, ut ea non tantum non Ciceroniana, quod ipsum esset tolerabile, quia pauci diuinam illam Ciceronis dicendi facultatem imitari possunt, sed etiam non latina clamites: perinde, quasi tu solus scripta mea legas, aut omnes alij iudicio careant. nõ enim solùm docti homines, sed etiam ij qui paulum aliquid ultra primas literas progressi sunt, te splendidè mẽtiri, facile possunt intelligere. Quin ipse te maximè uanum & mendacẽ hac in re planè ostẽdis, ac teipsum tuamque maliciam prodis. Clamas enim me penitus barbarum, & nullum uerborum delectum habentem. deinde cum hoc probare uelle contendis, omnia mea scripta quæcunque hactenus emissa sunt, hac una de causa ut me notares, plusquam hostili animo, cum omni cura, studio, diligentia perlegisti, & ad normam Ciceronianę locutionis, quàm fieri potuit, accuratissimè singula perpendisti. quo facto, tandem ex eis omnibus duo uocabula nõ ita frequenter usitata, duasque locutiũculas, quas tamen ipse fateris apud aliquos bonos auctores inueniri, subnotasti. Denique tragicè uociferari cœpisti reliqua etiam omnia, tot ac tanta, purè atque latinè dicta, tãquam barbara esse repudianda, quo quid maleuolentius dici

aut fingi poteſt? ut ſiquis Phidiam imperitiſsimum eſſe
ſtatuariũ clamitet, eo quòd in ſimulacro Iouis Olym-
pici faciendo,non ita diligenter unguem in minimo pe
dis digito polierit:aut Apellis picturas omnes eſſe con
temnendas,propterea quòd in earum una non ſatis re-
ctè crepidam effinxerit:aut deniq; Ciceronem eſſe pla-
nè barbarum, quia Lentulitatem, aut Appietatem, in
Epiſtolis dixerit. Verùm ubi plura nitẽt (ait Horatius)
in carmine, non ego paucis Offendar maculis, quas
aut incuria fudit, Aut humana parum cauit natura.
Sed quoniam tu ita uis,alio in loco te uerè barbarũ eſſe,
& bonarum literarum prorſus expertem,declarabo.

Ex tribus in Ciceronẽ collatis criminibus, unũ tantũ, quod erat omniũ leuiſsimũ,à Nizolio ſumptũ ad defendẽdũ,neq; tamẽ defenſum. Cap. II.

NVnc enim abſurdiſsimum quoddam, & pluſquã
anile deliramentum tuum refutare conſtitui: cui
quemadmodũ modeſtè reſpondeam, excogitare ſatis
nõ poſſum. nam in eo tam craſſam & apertã repugnan-
tiam uideo,ut tarditatis tuæ magnopere me pudeat. ue
lim enim (ita me dij ament) poſtquã ita accidit,ut abs te
ſine cauſa prouocarer, te ſaltẽ aduerſariũ eſſe ſtrenuũ &
ualentẽ: nõ fugacẽ & improbũ conuiciatorẽ. Nam quæ
mea laus erit,cùm tam futiles ineptias tuas,& tam frigi-
das calũnias refutaro? Qua in re gloriari potero, cũ eũ
proſtrauero,qui nullo ſit acumine,nullo ingenio, nulla
diligẽtia: ſed adeò tardus & negligẽs,ut in eadẽ pagella
ſibi pugnãtia dicat? Audi quæſo, q; ſis cõſtãs, q; diligẽs
in ſcribendo. Primùm ais,defenſum à te prorſus & ſana
tum fuiſſe Ciceronem ita,ut nõ amplius defenſionis ul-
lius indigeat. quod ſi uerum eſt,te omnia refutaſſe, quæ
contra illum dicũtur,oportet. non'ne ita eſt? Quid pau-
lo pòſt? non'ne clarè fateris,ex tribus criminibus, qui-

bus in Antiparadoxis accusatur Cicero, te ad unū tantum, quod omniū leuissimū est, respondisse? quæ (malum) est ista fatuitas tua? quæ stoliditas? quæ uecordia? Potest ne quisquā medicus eum ęgrotū sanasse dici, cuius leuiora tantū uulnera curet, grauiora putrescere sinat? Mirificū uerò patronū, qui de grauissimis criminibus nihil dicat, leuissima tantum refellere cōtendat. Et ais te in duobus mihi pepercisse. uis'ne igit tibi gratias agam, quòd in causa tam graui, tam illustri, tanto studio à te suscepta, tam improbus pręuaricator fueris? an potius ignorantiā maliciæ coniunctā rideā? Nam ad quæ propter imperitiā & stuporē tuum nihil omnino respōdere poteras, ea te mihi cōdonasse maliciose fingis: sed ita tamē maliciose, ut nemo nō præuaricationē & fugā tuā uidere possit: ut omnes intelligāt, te nullas penitus habere rationes, quas argumētis meis obijcias: sed dissimulare, tergiuersari, occasionē quęrere, qua si fieri pōt, parua cū ignominia, disputationē hāc tuis uirib. longè maiorē, quam imprudentissimè suscepisti, subterfugias. Quis enim tam dissolutus est, tam hebes, tam tardus alicuius defensor, qui cū causam suscipit, nō omni ratione refellere aduersariū quærat? quis eius personę, quā defendit, crimina solet accusatori condonare? quod istud nouū, & ante hunc diē inauditū defensionis genus est, ut reū tuū iacere, sordidatū esse, condēnari denique sinas, idque te ea de causa facere dicas, quòd aduersario parcere uelis? quis excusationē hāc tuā admittat? quis nō supra modū irridendā esse censeat? quis nō futilē, ineptā, falsam, iniquam iudicet? Attamen ais te mihi parcere. & mihi quidem parcis Nizoli? Credamus eum in grauissimis Ciceronis criminib. mihi parcere, qui sine ratione, sine causa quæcunque potuit excogitare conuicia atque

maledicta, procacissime petulātissimeq́ in me cōiecit? Est uerò credibile, te illi parcere, quem (ut scribis) omni ratione perditum, extinctum, sepultum cupis: quem, deos immortales rogas, ut perdāt, atq́ è medio tollant? Pium certè hominem, & misericordem: qui maximis in rebus mihi parcat, in minimis perditum uelit. imò uerò summam ignorantiā tuam patefacis: te nihil quod contradicas habere, te hæsitare, te mussare planè ostendis. quæ nullo modo te refutare posse uides, ea te consulto præterire mentiris. Quid deinde? quò tandem ut effugias, occultè prorumpis? alium nobis librum minitando polliceris, in quo demum Ciceronem defendas. Expectemus igitur præclarum illum atq́ egregium librū, duobus illis credo similem, quos omnium rerum inopes & egenos, canoris nugis & maledictionibus refertissimos ad me dedisti? Sed profectò si quam habuisses Ciceronis defensionem, nequaquam eam occultam habere potuisses, uerùm eam in medium attulisses: neq́ relicta, quam susceperas, causa, tanta animi anxietate, tantaq́ solicitudine ex omnibus meis scriptis duo uocabula, quę reprehenderes, inuestigasses. Qua tamen in re tum demum, cum omnibus nugis tuis respondero, tecum paria facere decreui: perspicueq́ ostendere, quæ in me inimico animo maledicta falso contorsisti, quòd non latinè, quòd barbarè scribā, ea uerè in te cōuenire: qui neq́ uerborum ullum delectum habeas, neq́ Latini sermonis proprietatem intelligas, neq́ omnino quid politè sit eleganterq́ scribere, scias.

Nizolium omnino ignorare quid Enthymema sit, aut quot modis dicatur: atq; ibi distincta Ethymematis significata. Cap. III.

DE Enthymemate uerò multa te ideo congessisse constat, non quia potueris adhuc intelligere quid sit,

ſit, aut quot modis dicatur, aut quomodo fiat: ſed ut, ſi fieri poſſet, errata quæ in primo contra me uolumine tuo commiſeras, abſconderes. quod non modò non feciſti, ſed etiam multis alijs erroribus priores errores accumulaſti. Quòd autem adhuc ignores quid Enthymema ſit, primò tu ipſe fateris, cum ais, quot ſunt auctores, tot de Enthymemate opiniones reperiri: & Ariſtotelē tum ipſum à ſe & ab alijs, tum alios ab ipſo & inter ſe plurimum diſcrepare. Deinde ſatis apparet, etiam ex illa rerum & uerborum confuſione, quam ex diuerſis locis tam inordinatè tamq; perturbatè collegiſti, te nō ſatis adhuc extricare potuiſſe, quid aut Ariſtoteles ipſe, aut cæteri auctores cùm Græci tum Latini, Enthymematis nomine comprehendi atque intelligi uoluerint. Ego autem re diligentius conſiderata & perpenſa, dico, repugnantiam illam atq; diſcrepantiam, quam tu & in Ariſtotele & in cæteris auctoribus eſſe putas, in opinione atq; ignorantia tua potius eſſe, qui nihil unquam rectè diſtinguere didiciſti, quàm in ipſis auctoribus, quos inter ſe mirificè cōuenire omnes oſtendam. quod tu cum facere neſcias, putas etiam nullum alium omnino facere poſſe. atq; ideo uaria cōfuſus imagine rerum, huiuſmodi uerbis exclamas: Quas diſcrepantias & repugnantias, dij boni, quis unquam ſe conciliare poſſe ſperauerit? Ego Nizolium non tantum ſpero, ſed etiam perſuaſum & certum habeo. Sed uolo ut deinceps mihi gratias agas, qui te ex tantis ignorantiæ tenebris eripuerim. Iam igitur ad rem ipſam aggrediamur. Enthymema tribus modis apud auctores intelligi reperio: communiter, propriè, & maximè propriè. Sed illud ſciendū, rarius ad alios artifices, quàm ad rhetores, Enthymema pertinere, Eſt enim hoc omnino rhetoricum uocabulū.

Cōmuniter igitur enthymema uocatur, omnis ab oratore præparata ad probandum materia: siue illa necessaria sit, siue probabilis, siue artificiosa, siue artis expers. Proprie autem enthymema est argumentatio rhetorica, prout ab exemplo distinguitur. Sicuti enim dialecticus duas habet argumentandi formulas, syllogismum & inductionē: ita rhetor duas habet illis ex altera parte respondentes, enthymema, & exemplum. Maxime uero proprie dicitur enthymema, quod à contrarijs & repugnantibus ducitur argumentum. Hac posita distinctione, quæ est maxime Academica atque Peripatetica, conciliantur omnia quæ apud auctores de enthymemate uidentur dissentire. Quare mihi prius faciendum est, ut hanc distinctionem meam uerissimam esse probem: deinde etiam, ut omnes, quantum fieri poterit, difficultates soluam. Ac ratio quidem poscit, ut cum rhetorica dialecticæ ex altera parte respondeat, & cum hæ duę disciplinę ratione tantum & forma argumentandi, non autem subiecto, quod in primo libro docuimus, inter se differant: sicuti dialecticæ commune instrumentum est syllogimus, ita etiam rhetoricæ sit commune instrumentum enthymema: quod nihil aliud est (ut omnes attestantur) quam rhetoricus siue oratorius syllogismus. ut enim omnia quæ tractantur in dialectica, syllogismi ipsius conficiendi gratia tractantur: ita quicquid ad probandum rhetor cogitat, id sine dubio ad enthymema refertur. Quærit autem rhetor maiori ex parte tantum ea quæ uerisimilia sunt, & signa rerū: quoniā ex uulgari hominū opinione disputat. Sed ex uerisimilibus & signis, Aristotele teste, cōficitur enthymema. quo fit, ut quæcūque rhetor excogitat probādi gratia, ea recte dicātur Enthymemata. Quæ ratio doctissimorū hominū auctoritate

ctoritate mihi probanda est, ut de illa nemo posthac unquam amplius dubitare posit. Igit in Topicis Cicero fatetur, omnē sententiā apud rhetores proprio nomine enthymema dici. quod idē esse, ac si dixisset, omnē rem ad probandū sumptā, qui diligenter eū locū legerit, facillimè poterit intelligere. Omnis enim oratio cōstat ex uerbis & sentētijs. in uerbis quærit ornatus & splēdor, in sententijs fides & grauitas. Nam quamuis etiā exornationes sententiarū sint, sicuti etiam uerborum: tamen probatio ac fides non à uerbis, sed à sententijs proficiscitur. est enim in rebus, nō in uerbis, ueritas, aut falsitas. Nam (ut ait Aristoteles) quatenus res sunt, aut nō sunt, oratio dicitur uera, uel falsa. Sed omnis sententia, teste Cicerone, communiter à rhetoribus enthymema dicitur. ergo enthymematis nomine comprehenditur omnis materia rhetorica, ad probandum destinata. Quod apertius etiam Quintilianus libro Quinto declarat, cuius hæc sunt uerba: Nam enthymema unum intellectum habet, quo omnia mente concepta significat. Potest'ne clarius ostendere Quintilianus, enthymema communiter sumptum, omnem oratoris mente conceptam ad probādum materiam significare? Quid? quod alibi dicit idem auctor: Igitur enthymema & argumentum ipsum, id est rem quæ probationi alterius adhibet, appellāt, & argumēti elocutionē? Audis'ne, rem quę ab oratore probationi alterius adhibet, enthymema uocari? quòd si idē est apud rhetores enthymema, quod argumentū, ut apertè clamat Quintilianus: & argumentis tantū fides fit, ut in Partitionib. docet Cicero: profectò quęcūq; ad faciendā fidē excogitat orator, enthymemata cōmuniter appellātur. quod cū Aristotelis sententia sanè conuenit, quam tu nullo modo percipere potuisti.

Miraris

Miraris enim, quòd Aristoteles modò Enthymema dicat imperfectum esse syllogismum ex probabilibus & signis, modò exemplum ab enthymemate separet, modò coniungat, & quasi speciem Enthymematis faciat: modò enthymemata ponat in quibus ex singularibus probentur generalia, modò dicat, ex generalibus enthymemata fieri: modò à signis, & indicijs, & exemplis enthymemata disiungat, quę aliàs copulauerat: atq; ita putas ipsum sibi dissidere, & omnino sibi esse contrarium. Sed profectò istius admirationis tuæ sola ignorantia causa est, qui non intelligas, enthymema communiter dictum, omnia quæ oratori ad probandum subiecta sunt, continere: siue illa probabilia sint, siue necessaria, siue signa, siue exempla, siue singularia, siue generalia. quod sanè ex eo loco Aristotelis, quē ex secundo Rhetoricorum citasti, facilè poteras intelligere, nisi negligenter & oscitanter omnia percurreres. ibi enim apertè docet Aristoteles, enthymematis nomine probationē omnem rhetoricam contineri, cuius hæc uerba sunt:

ἐπεὶ δὲ τὰ ἐνθυμήματα λέγεται ἐκ τεσσάρων, τὰ δὲ τέσσαρα ταῦτα ἐστὶν, εἰκὸς, παράδειγμα, τεκμήριον, σημεῖον. ἔστι δὲ τὰ μὲν ἐκ τῶν ὡς ἐπὶ πὸ πολὺ ἢ ὄντων, ἢ δοκούντων ἐνθυμήματα, ἐκ τῶν εἰκότων. τὰ δὲ δι' ἐπαγωγῆς, διὰ τοῦ ὁμοίου ἢ ἑνὸς, ἢ πλειόνων, ὅταν λαβὼν τὸ καθόλου, εἶτα συλλογίσηται τὸ κατὰ μέρος, διὰ παραδείγματος. τὰ δὲ δι' ἀναγκαίου καὶ ὄντος τεκμηρίου. τὰ δὲ διὰ τοῦ καθόλου, ἢ ἐν μέρει ὄντος, ἐάν τε ὄν, ἐάν τε μὴ, διὰ σημείων. τὸ δὲ εἰκὸς, οὐ τὸ ἀεὶ, ἀλλὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. φανερὸν ὅτι τὰ τοιαῦτα μὲν τῶν ἐνθυμημάτων ἀεί ἐστι λύειν, φέροντα ἔνστασιν. ἡ δὲ λύσις φαινομένη, ἀλλ' οὐκ ἀληθὴς ἀεί. οὐ γὰρ ὅτι οὐκ εἰκὸς λύει ὁ ἐνιστάμενος, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἀναγκαῖον.

Quorum uerborum sensum, quia Trapezuntij conuersio mihi non satisfacit, ita latinè fideliter exprimemus: Ea ex quibus enthymemata fiūt, quatuor numero sunt:

Probabile,

Probabile, exemplum, indicium, signum. nam enthymemata quæ constant ex ijs quæ plerunque ita fiunt, uel fieri uidentur, ea sunt ex probabilibus. quæ autem inductione cõstant, ex uno simili uel pluribus: hoc est, cum quis posito generali, uult illud ex singulis probare, sunt ab exemplo. quę uerò constant ex necessario signo, sunt ab indicio. quæ denique fiunt uel ex generali signo, uel singulari, siue illud uerum sit, siue non, sunt à signis. Verùm quia probabile non semper uerum est, licet plerunque fiat: perspicuum est, nos enthymemata probabilia semper euertere posse, atque illis occurrere. quæ reprehensio erit quidem apparens, non tamen semper uera. nam qui occurrit, non ideo refellit, quia non sit probabile, sed quia non sit necessarium. Hæc Aristoteles. ex quibus dubitare nemo potest, quin uera sit sententia mea. Quis porrò nescit, omnem artificiosam probationem ex locis in re ipsa insitis duci solere: qui loci tanquam elementa quædam sunt ipsius rhetoricæ probationis? At Aristoteles secundo Rhetoricorum hęc ait, εἷς μὲν οὖν τρόπος τῆς ἐκλογῆς, καὶ πρῶτος οὗτος ὁ τοπικὸς τὰ στοιχεῖα τῶν ἐνθυμημάτων λέγομεν. Quibus ex uerbis intelligitur, artem inueniendi quæ Topica dicitur, enthymematũ elementa complecti. quo fit, ut idem sit generaliter enthymema quod probatio rhetorica. quod apertius ostendit eodem etiam in libro Aristoteles: quippe qui, quomodo ex omnibus locis enthymemata ducenda sint, artificiose tradit. & primo libro Rhetoricorum enthymema dicit esse σῶμα τῆς πίστεως, & ita definit, ut dicat demonstrationem esse rhetoricam. Hinc etiam ἐνθυμηματικὸς ἀνὴρ apud Græcos dicitur, perpugnax in disserendo atque argutus orator, qui ex locis facile possit Enthymemata ducere, quod Budæus in Commentarijs suis annotauit,

& hoc nomine Aristidem dictum fuisse ostendit. Quin Aristoteles primo Rhetoricorum ait, eum qui dialecticam artem didicerit, maximè enthymematicum esse solere. Latent autẽ in Topicis & probabilia, & exempla, & indicia, & signa, & omnia denique quibus orator ad probandũ utitur. Quare concludendũ est, omnem ab oratore præparatam ad probandum materiam, cõmuniter enthymematum nomine contineri. Propriè autem enthymema dicitur argumentatio rhetorica, quæ uel ex duabus, uel ex tribus, uel etiam ex pluribus partibus constituitur: quæ ita separatur ab exemplo, sicut in dialectica syllogismus ab inductione. Nam dialectici duobus ad fidem faciendam instrumentis utuntur, hoc est, syllogismo, & inductione: quibus in rhetorica respondent, enthymema, & exemplum: ut enthymema sit rhetoricus syllogismus, & exemplum inductio rhetorica. quemadmodũ Aristoteles primo Posteriorum his uerbis ostẽdit: ὡσαύτως καὶ οἱ ῥητορικοὶ συμπείθουσι. ἢ γὰρ διὰ παραδειγμάτων, ὅ ἐστιν ἐπαγωγὴ, ἢ δι' ἐνθυμημάτων, ὅπερ ἐστὶ συλλογισμός. Similiter, inquit, etiam rhetores persuadẽt. uel enim per exempla, quæ est inductio: uel per enthymemata, qui est syllogismus. Sed longè clarius primo Rhetoricorum, cum ait: καλῶ δὲ ἐνθύμημα μὲν, ῥητορικὸν συλλογισμόν· παράδειγμα δὲ, ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. πάντες δὲ τὰς πίστεις ποιοῦνται διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ παραδείγματα λέγοντες, ἢ ἐνθυμήματα, καὶ παρὰ ταῦτα οὐδὲν πως. Voco (inquit) enthymema, rhetoricum syllogismũ: exemplum autem, inductionem rhetoricam. omnes porrò fidem faciunt, demonstrandi gratia, uel exempla dicendo, uel enthymemata: præter hæc enim omnino nihil est. Quare si quicquid oratores dicunt probandi gratia, uel exempla sunt, uel enthymemata: necesse est, ut enthymema

sit

ſit idem quod argumentatio rhetorica. Quin idem Ariſtoteles ſecundo Rhetoricorum ait: Eſt autem communis fides genere duplex, exemplũ, & enthymema. Ac de exemplo prius uerba facit, quod ait inductioni ſimile eſſe: deinde ad enthymema aggreditur, quem ſyllogiſmũ ciuilem uocat. & eius duas ſpecies facit, ſicuti etiam ſyllogiſmi: alterũ δεικτικὸν uocat, hoc eſt demonſtratiuum: alterũ autem ἐλεγκτικὸν, hoc eſt, ad reprehendendum accõmodatum. Demonſtratiuũ id eſſe uult, quod ex ijs quæ conceduntur, aliquid aut eſſe, aut nõ eſſe colligit: quam nos argumentationẽ uocamus. ad reprehẽdendum accõmodatum id eſſe ait, in quo pugnantia, uel contraria colligũtur: quod nos maximè propriũ enthymema eſſe uolumus, de quo paulo pòſt. Ex his igitˀ duabus enthymematũ formis, omnis cõfirmatio & reprehẽſio naſcitˀ. Vnde colligere licet, enthymema idem eſſe cum ea, quę in Partitionibus à Cicerone fides dicitˀ: quæ eſt ibi tertia pars orationis, quam Cicero diuidit in confirmationem, & reprehenſionem. Quòd autem enthymema propriè dictum, ſit idem quod argumentatio rhetorica: declarat etiam Quintilianus libro Quinto, cum affirmat enthymema dici argumenti elocutionem. nihil autem aliud eſt argumenti elocutio, quàm ipſa argumentatio, ſicuti omnes intelligere poſſunt. nam etiam Cicero in Partitionibus argumentationem ita definit, ut dicat eſſe argumenti explicationem.

Quare iam nemini dubium eſſe poteſt, quin enthymema propriè dictum, prout ab exemplo diſiungitur, ſit idẽ quod argumẽtatio: præſertim cum Ariſtoteles in Problematibus dicat, τὰ δ᾽ ἐνθυμήματα ἀποδείξεις ἐστὶν ἐκ τῶν καθόλου, hoc eſt, ex generalibus, & ex ijs quæ aut omnibus, aut plurimis perſpicua eſſe uideantur: quo ex ge-

 nere

nere præcipuè fiunt argumentationes rhetoricæ. Maximè uerò propriè rhetores enthymemata uocant eas argumentationes, quæ ex contentione contrariorum & pugnantium fieri ſolent: quæ ſecundo Rhetoricorum ab Ariſtotele uocãtur ἐνθυμήματα ἐλεγκτικὰ, quæ longè magis quàm δεικτικὰ laudari ſcribit, propterea quòd breuiter cõtraria colligant, & auditori quæ inter ſe conferuntur, lucidiora ſint. Ex quo ſanè poteſt intelligi, nihil omnino neq; à ſe ipſum, neq; ab alijs Ariſtotelem diſſentire: qui dicat ea enthymemata maximè laudari, quæ poſteriores rhetores ſola enthymemata eſſe uoluerunt. nam Hermogenes hæc tantum quæ ex contrariorum contentione fiunt, enthymemata uidetur agnoſcere: atq; ipſe Ariſtoteles in Rhetoricis ad Alexandrũ, hæc quæ maximè propriè dicuntur enthymemata, ſcribit ex contrarijs tantum conſtare. cuius hæc uerba ſunt: τὰ μὲν ἐνθυμήματα μόνον ἐκ τῶν ἐναντιώσεων σύγκειται. quem (ut tu putas) ſecutus in Topicis Cicero eſt, qui de hoc enthymematis genere ita ſcribit: Ex hoc illa rhetorum ſunt, ex contrarijs concluſa, quæ ipſi enthymemata appellant: non quòd non omnis ſententia proprio nomine enthymema dicatur, ſed ut Homerus propter excellentiam commune poetarũ nomen efficit apud Græcos ſuum, ſic cum omnis ſentẽtia enthymema dicatur, quia uidetur ea quæ ex contrarijs conficiatur, acutiſsima, ſola propriè nomen poſsidet. Eius generis hęc ſunt:

Hunc metuere, alterum in metu non ponere.

Eam quam nihil accuſas, damnas.

Bene quam meritam autumas, dicis malè mereri.

Id quod ſcis, prodeſt: nihil id quod neſcis, obeſt.

Hoc certè loco Cicero, cum enthymema commune nomen uocat, oſtendit etiam alia ſignificare, quàm ſententiam

tiam ex contrarijs confectam. Quod si aduertisses, non sanè tam imperitè dixisses, Ciceronem putasse, non nisi ex contrarijs & repugnantibus enthymema fieri. Quintilianus libro Quinto, de hoc enthymemate maximè proprio sic ait: Ex pugnantibus uerò, quod etiam solũ enthymema quidã uocant, fortior multo probatio est. Tale est illud Ciceronis pro Milone: Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius uitã si putetis per uos restitui posse, nolitis. Hermogenes putat ea maximè propriè dici enthymemata, quæ habent (ut ipse ait) σχῆμα συγκριτικόν, hoc est, contentionis siue comparationis formã. quod eius penè dixerim interpres Trapezuntius libro Tertio confirmat, & exempla etiam adducit, quibus ostendat, quomodo per contentionem enthymemata fiant: quæ sanè contentio plerũq; ducitur ex ijs quæ aut personis aut negocijs attributa sunt, quas Græci περιστάσεις, quidam ex latinis circunstantias appellarunt. unde sæpenumero multiplicari solent enthymemata, per harũ (quas uocant) circunstantiarum enumerationem. ut in exẽplo, quod ex Miloniana Quintilianus citat: Quem igitur cum omniũ gratia uoluit, hũc noluit cũ aliquorũ querela? quẽ iure, quẽ loco, quem tempore, quem impunè non est ausus: hũc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitauit occidere? Sed de hoc genere plura inferius, suo loco. Optimum uerò (ait Quintilianus) enthymematis genus, cum proposito dissimili, uel contrario, ratio subiungitur. quale est Demosthenis: Non enim, si quid unquam contra leges factum est, idq; tu es imitatus, idcirco te conuenit pœna liberari: quin è contrario, dãnari multo magis. nam si quis eorum damnatus esset, tu hæc non scripsisses: ita damnatus tu si fueris, non scribet alius. Ex his igitur

quæ ſunt hactenus à me diſputata, atq; ex ſummis au-ctoribus probata, luce clarius eſt, illam diſtinctionem meam eſſe ueriſsimam: & enthymema modò rhetoricam omnem materiam ad probandũ accommodatam ſignificare, modò argumentationem ſolam rhetoricam ab exemplis diſtinctam: modò tantùm id argumentationis genus, quod à rhetoribus ex contrariorum contentione fieri ſolet. Hoc autẽ probè confirmato atq; ſtabilito, neq; Ariſtoteles ipſe à ſe, neque ab alijs diſcrepat: qui modò de uno enthymematis genere loquitur, modò de altero. neq; alij ab ipſo Ariſtotele, neq; inter ſe diſſentiũt: ſed intellecto atq; notato genere de quo loquũtur, omnes inter ſe conuenire mirificè reperiuntur.

Imperfectionem enthymematum non ad materiam probabilem, ſed ad formam ſyllogiſticam referri: contrà quàm ſentiat Nizolius. Caput IIII.

MVltis tu quidem rationibus & exemplis, Nizoli, tuum errorem occultare contẽdis. Sed idem hac in re tibi ſanè accidit, quod illi qui in uolutabro cœni pedem alterum immerſerit: dum enim pedem illum incautè, nimiſq; feſtinanter educere ſtudet, ſæpenumerò fit ut preceps in lacunam toto corpore deuoluatur. eodem modo cum unum tu errorem tuum apertiſsimum, à me notatum hac in parte, quàm primùm potes, defendere conaris, complures in alios longè manifeſtiores incidis. Itaq; tibi multo melius fuiſſet, unam plagam cum ſilẽtio tolerare, quàm nunc toto capite diminuto, ſumma cum infamia diſcedere. Dixeram ego contra ſententiam tuam, enthymematum imperfectionem non eſſe ad materiam tantum probabilem referendam, ſed potius ad formam ſyllogiſticam: idq; probaueram, quoniam in Enthymemate nonnunquam etiam neceſſaria po-

ponuntur, ita ut etiam ex necessarijs fiat imperfectus syllogismus, hoc est enthymema: quod multis in locis ostēdit Aristoteles. Hoc igitur cū nullo modo negare posses, ridiculè primò contra ipsius Aristotelis sententiam ais, qui fiunt ex necessarijs, non propriè esse syllogismos rhetoricos, sed potius syllogismos perfectos. Itaque te auctore, erunt aliqua enthymemata, hoc est, ea quæ ex necessarijs fiunt, quæ non imperfecti, sed perfecti syllogismi dicētur: quod quàm absurdum sit, patet ex enthymematis definitione. Deinde (quod peius est) locum quem ex Aristotele citas ad sententiam tuam comprobandam, uel summa cum malicia falsò prorsus interpretaris: uel quod magis crediderim, omnino non intelligis. quod iam tibi luce clarius ostendam. Comparat Aristoteles primo Rhetoricorum, ipsam rhetoricam cum dialectica, ut earum differentias ostēdat, & ait, omnem quidem probationem uel inductione, uel syllogismo fieri: sed hæc duo uocabula, nempe inductionem, & syllogismum, esse dialecticorum propria: quibus in arte rhetorica duo alia respondeant, quæ rhetorum propria sint, exemplū, & enthymema: ut exemplum sit inductio rhetorica, enthymema uerò syllogismus. Itaq; sic ait: τίς δ' ἐστὶ διαφορὰ παραδείγματος καὶ ἐνθυμήματος, φανερὸν ἐκ τῶν τοπικῶν. ἐκεῖ γὰρ περὶ συλλογισμοῦ καὶ ἐπαγωγῆς εἴρηται πρότερον, ὅτι τὸ μὲν ἐπὶ τῶν πολλῶν καὶ ὁμοίων ἐπιδείκνυσθαι, ὅτι οὕτως ἔχει, ἐκεῖ μὲν ἐπαγωγή ἐστιν, ἐνταῦθα δὲ παράδειγμα. τὸ δέ, τινῶν ὄντων, ἕτερόν τι διὰ ταῦτα συμβαίνειν παρὰ ταῦτα τῷ ταῦτα εἶναι, ἢ καθόλου, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, ἐκεῖ μὲν συλλογισμός, ἐνταῦθα δὲ ἐνθύμημα καλεῖται. hoc est: Quomodo uerò inter se differant exemplum & enthymema, ex ijs quæ in Topicis dicta sunt, intelligi potest. Ibi enim de syllogismo & inductione iam à nobis disputatum est.

nam

nam cum ex multis ac ſimilibus aliquid ita ſe habere o-
ſtenditur, ibi quidem inductio eſt, hîc autem exemplũ.
cum autem quibuſdã poſitis, aliud quiddam præter ea
quæ poſita ſunt, ex ijs ipſis efficitur, eo quòd illa ſint uel
ex eorum numero quæ nunquã aliter, uel ex eorũ quæ
plerunq; ita fiant: ibi quidem ſyllogiſmus, hîc autẽ en-
thymema uocatur. Quorum uerborum hæc ſummatim
eſt ſententia: Quoties ex multis ſimilibus argumenta-
mur, ſi dialecticè id facimus, erit inductio: ſi rhetoricè,
dicetur exemplum. quoties autem uel ex ijs quæ gene-
raliter uera, uel plerunq; ſaltem uera ſunt, colligimus
aliquid: ſi dialecticè diſputamus, erit ſyllogiſmus: ſi rhe
toricè dicimus, erit enthymema. Tu uerò pluſquã impe
ritè ſyllogiſmi materiã ab enthymematis materia putas
hoc loco ſeparari, cum eandẽ penitus eſſe uelit Ariſto-
teles. Sed totius erroris tui cauſa fuit, quia duo illa uer-
ba græca, ἐκεῖ, & ἐνταῦθα, non intellexiſti. Quum enim
ait ἐκεῖ, hoc eſt illic, intelligit de Dialectica, de qua iam
tractauerat in Topicis, & Analyticis. cum autem ait ἐν-
ταῦθα, hoc eſt hîc, intelligit de rhetorica, quam eo tem-
pore tractabat. At tu tam oſcitanter eum locum legiſti,
ut exiſtimares ἐκεῖ referri ad id quod dixerat καθόλου, &
ἐνταῦθα ad id quod dixerat ἐπὶ τὸ πολύ. quod quàm
abſurdum ſit, ſi iterũ locũ eum legeris, tute ipſe cogno-
ſces, & inter legendum ſtatim negligentiam tuam uehe
menter improbabis. Vult igitur Ariſtoteles, enthyme-
matis materiã eandem eſſe cum materia ſyllogiſmi: &
plerunq; quidẽ eſſe probabilẽ, ſed tamen etiã aliquan-
do neceſſariã. quod his uerbis primo Rhetoricorum o-
ſtendit: φανερὸν, ὅτι ἐξ ὧν τὰ ἐνθυμήματα λέγεται, τὰ μὲν ἀναγ-
καῖα ἔσται, τὰ δὲ πλεῖστα ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Poteſt'ne magis Ari-
ſtoteles tua mendacia refutare, qui uelis ex eius ſenten-
tia

tia nunquam penitus ex necessarijs enthymema cõstare? Quin Rhetoricorum secũdo, cum de enthymemate loquitur, ait, nec solum ex necessarijs colligendum, sed etiam ex ijs quæ plerunq; fiunt. Vnde satis liquet, etiam ex necessarijs enthymema fieri, præsertim cum ex uerisimilibus & signis fiat: signa uerò partim necessaria sint, ut, Si lac habet mulier, igitur peperit: partim probabilia tantum, ut, Si mater est, diligit filium. Cum autem ex necessarijs enthymema fit, tunc eiusmodi est, ut nequaquam refutari posit: atq; ideo tunc fit demonstratio, seu probatio. Hoc est quod ait Aristoteles Rhetoricorum primo, cum signa diuidit: τούτων δὲ τὸ μὲν ἀναγκαῖον τεκμήριον, τὸ δὲ μὴ ἀναγκαῖον, ἀνώνυμόν ἐστι, κατὰ τὴν διαφοράν. ἀναγκαῖα μὲν οὖν λέγω, ἐξ ὧν γίνεται συλλογισμός. διὸ καὶ τεκμήριον τὸ τοιοῦτον τῶν σημείων ἐστί. Hoc est: Ex his quod necessariũ est, indicium uocatur: quod autem non est necessarium, nõ habet nomen à signo differens. Necessaria igitur ea uoco, ex quibus fit syllogismus: unde etiam ex signis hoc solum, quod tale est, indicium appellatur. Cum enim dicat Aristoteles, ex necessarijs signis fieri syllogismum, non intelligit syllogismum perfectum, ut tu falso interpretaris, cum ibi de enthymematis materia tantũ agat: sed probationem necessariam, quæ nullo modo refelli posit, quam multis in locis syllogismũ appellat. quod etiam tu alibi aduertisti, cum hic penitus cæcutiueris. Itaque illa enthymemata uocantur τεκμήρια: Aegrotat, quia febricitat: Peperit, quia lac habet: quoniã (ut ipse ait) sunt ἄλυτα, hoc est (ut ego interpretor) non refelli possunt. Illa uerò, Prægnans est pallida, hæc est pallida, ergo est prægnans: &, Pittacus est iustus: Pittacus est sapiens, ergo iusti sunt sapientes: λυτὰ sunt, hoc est refelli possunt: primò, quia non sunt τεκμήρια, sed tantum ση-

μᾶα: deinde, quia positis hoc modo terminis, nunquã fit uera cõclusio. Nõ autẽ intelligit Aristoteles perfectum syllogismũ, ut tu falso interpretaris, qui fit tãtũ in prima figura: sed syllogismum accipit pro uera conclusione & probatione. unde etiam ἀσυλλόγιστα uocat eadem quæ λυτὰ, quæ facile refelluntur: συλλελογισμένα uerò, eadem quæ ἄλυτα, quæ refelli nõ possunt. Sunt igitͥ ea ex quib. fiũt enthymemata, partim ἄλυτα, hoc est necessariò con clusa: partim λυτὰ, hoc est conclusa tantũ ꝓbabiliter. ex eisdẽ enim omnino rebus fit enthymema, quibus syllogismus, ut primo Rhetoric. libro clarissimè docet Aristoteles, & quidẽ multis uerbis: ut magnopere mirer, te nõ errorẽ tuũ aduertisse. magnã enim ait enthymematũ esse differẽtiã, & multis ignotã, sicuti etiã syllogismorũ, cũ ex multis rebus specie differẽtib. cõflent, ut ex rebus iustis, ex naturalib. ex ciuilib. ex quibuscũq; alijs. atq; ita cõcludit, οὐδὲν μᾶλλον ἔσται ἐκ τούτων συλλογίζεσθαι, ἢ ἐνθύμημα εἰπεῖν τῶν δικαίων, ἢ φυσικῶν, ἢ τῶν ὁτιοῦν. Ex hoc igitͥ loco patet, ex Aristotelis sentẽtia, nihilo minus ex omni re ꝓposita siue sit ea necessaria, siue tantũ probabilis, posse nos enthymemata, q; syllogismos cõficere. uerũ quia frequenter in ciuilib. causis de ijs tantũ rebus agitͥ, quę nõ perpetuę sunt, sed uel fieri, uel nõ fieri possunt, & oratores maiori ex parte in causis illis uersantͥ: ideo fit, ut rarò ex necessarijs enthymemata cõficiant: quod etiã Aristoteles animaduertit. Quod quãuis ita sit, nõ tamẽ ideo uinces, enthymemata probabiliter tantũ cõcludere: cũ aliquando, licet rarius, etiã necessariò cõcludant. est enim uitiosum (ut ait Cicero) si id quod rarò fit, fieri omnino negetur. Quin ipse Cicero Rhetoric. lib. I. docet, necessariam argumentationẽ ab oratore nõnunquã tractari, & quidem uarijs modis. cuius hęc sunt uerba: Argumentatio uide-

uidetur esse inuentũ ex aliquo genere rem aliquam aut probabiliter ostẽdens, aut necessariè demonstrans. necessariè demonstrantur ea quę aliter ac dicũtur, nec fieri nec probari possunt, hoc modo: Si peperit, cum uiro concubuit. hoc genus argumẽtandi, quod in necessaria demonstratione uersatur, maximè tractatur in dicẽdo aut per complexionẽ, aut per enumerationẽ, aut per simplicẽ conclusionẽ. Quid? in Partitionib. an non coniecturam in uerisimilibus & in proprijs rerũ notis positã esse totam, ait: & uerisimile id appellat, quod plerũq; ita fit: proprię autẽ notę argumentũ, quod nunquã aliter fit, certũq; declarat? At inquies, aliter sentit Quintilianus & Hermogenes, qui dicunt necessaria atq; indubitata signa nihil ad rhetorem pertinere. Ego uerò primò hoc oppono, longè maioris esse auctoritatis Aristotelem & Ciceronẽ, quàm sit uel Quintilianus, uel Hermogenes. deinde dico, à doctissimis uiris hãc Quintiliani sententim improbari. Quod si legeris ea quę uir ingeniosissimus et eruditissimus Rhodolphus Agricola ca.22.lib.1. de Inuẽtione dialectica, cõtra hãc Quintiliani sententiã scripserit, & prętereaquę eiusdẽ Rhodolphi interpres Matthęus Phrysemius, quẽ tu uirũ plurimi facere uidetis: non dubito quin intelligas, quanto fuerit in errore Quintilianus. Quare si Aristotele, Cicerone, Agricola, Phrysemio auctoribus, repudianda est Quintiliani sententia, certè etiam ex necessarijs aliquando fient enthymemata. Iam igitur profectò uides, quantopere sis in hac parte deceptus. Nam illud etiam mihi crassum & pingue uidetur, quod ais, Hic ægrotat, quia febricitat: Hæc peperit, quia lac habet: atque alias eiusmodi argumentationes ex necessarijs signis confectas, non posse simul & enthymemata esse, & necessariò con-

 cludere,

cludere. qua de causa, quæso, nõ possunt? Quia stultum est, ais, dicere argumentationem necessariò cõcludere, & tamen esse imperfectam. Cur stultum est hoc dicere? fac ut rationem aliquam audiamus. Sed nullam addis. credamus igitur Nizolio sine ratione loquẽti, quia ipse dixit. An putas omnem necessitatem perfectã esse debere? tam'ne tardus es, ut nõ uideas, cum dicimus, Hæc mulier peperit, quia lac habet: ideo necessariam esse argumentationem, non quia perfectus sit ex tribus enunciatis syllogismus, sed quia lac in muliere signum est partionis necessarium? Quatenus igitur ad formam syllogisticam, imperfecta est argumentatio, quia deest ea propositio, quam maiorem uocant. quatenus autem ad materiam, est necessaria. Quod si maiorem illam propositionem adiungas, quam omnes intelligunt, tunc erit perfectus syllogismus, hoc modo: Quæcũq; mulier lac habet, ea peperit. Vides igitur, enthymematis imperfectionem nõ ad materiã, sed ad formam referri. Quòd si uera esset sententia tua, tria maxima sequerentur incommoda: primùm, ut tantum demõstratio perfectus esset syllogismus: deinde, ut dialectici nullum perfectũ syllogismum cõficerent: postremò, ut Aristoteles falsam nobis doctrinam traderet. quæ si omnia sunt absurda & falsa, nullo modo sententia tua uera esse potest. Cum enim ais, imperfectionem enthymematum ad materiam non necessariam, sed tantum probabilem esse referendam: tantùm eos syllogismos perfectos esse uis, qui ex necessarijs fiunt: tales autem demonstratiui sunt, de quibus in libris Posteriorum tractat Aristoteles. Ergo te auctore, nullus erit perfectus syllogismus, nisi demonstratiuus: quod ab omnium doctorũ hominũ sententia alienum est. quamuis enim demõstratio sit omniũ pręstantissima,

tiſsima, quæ non tantùm docet, ſed etiam cogit nos credere, quia fit ex neceſſarijs, ueris, proprijs cauſis concluſionis, & medio carentibus: tamen etiam ex probabilibus, ac conceſsis, & neceſſariò & perfectè cõcludimus. eſt enim dialecticæ officiũ, de omnibus rebus in utrãq; partem diſſerere. loquor autem de illa dialectica, quæ propriè dicitur: non quæ communiter & demonſtrationem etiam amplectitur. Nam in unaquaq; re propoſita, quæ probabilia ſunt, inueſtigat, atq; ex eis argumentatur. Quod ſi tantum ex neceſſarijs, ut tu uis, perfectus ſit ſyllogiſmus: & dialectica non neceſſaria, ſed probabilia ſequitur: certè nullus dialecticus ſyllogiſmus erit perfectus. Quid? quòd iſtud commentum tuum contra doctrinam Ariſtotelis apertè facit? is enim cum tres ſyllogiſmorum figuras nobis tradidiſſet, docuit in prima tantum figura ſyllogiſmos fieri perfectos, in duabus autem reliquis imperfectos. Ita quicunq; in prima figura rectè conformati fuerint ſyllogiſmi, uult eos Ariſtoteles eſſe perfectos, ſiue ex neceſſarijs, ſiue ex probabilibus conſtituantur. nam materia nihil ad ſyllogiſmi perfectionem prodeſt, ſed forma tantum. Quòd ſi materia neceſſaria (quemadmodum tu exiſtimas) ſyllogiſmos perficit, ſequitur, ut omnes quicunq; ex neceſſarijs in ſecunda & tertia figura ſyllogiſmi conficiuntur, perfecti ſint: quod apertiſsimè repugnat Ariſtotelis ſententiæ, qui tantum in prima figura ſyllogiſmos fieri perfectos tradit. Vtrius igitur maiorem eſſe uis? tuam'ne, an Ariſtotelis auctoritatem? Quid? quòd ipſa ſyllogiſmi definitio tantum formam attingit, non etiam materiam? ita enim definitur: Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdã poſitis, aliud quiddam quàm quæ poſita ſunt, ex ijs ipſis quæ poſita ſunt, efficitur neceſſariò. Ex

quo perſpicuũ eſt, neceſsitatem concluſionis non à materia neceſſaria, ſed à poſitione et cõceſsione propoſitionum effici: ut perfectus ſyllogiſmus ſit, quicunq; ex ijs quæ poſita ſunt & conceſſa, fit in prima figura: ſiue illa quæ ponuntur, & cõceduntur ab aduerſarijs, neceſſaria ſint, ſiue probabilia tantũ. nihil enim hoc ad ſyllogiſmi perfectionem conducit. Dico igitur, ex Ariſtotelis ſententia, ſyllogiſmos omnes imperfectos dici, quicunque nõ fiunt in prima figura: ſiue cõſtent ex neceſſarijs, ſiue ex probabilibus, ſiue dialectici ſyllogiſmi ſint, ſiue enthymemata rhetorica, ſiue paralogiſmi: qui cum ad primam figurã reducuntur, tunc perfecti fiunt, nõ materię, ſed formæ mutatione. nam hoc ipſum abſurdum per ſe eſt, credere materiã eã eſſe, quæ ſyllogiſmis perfectionẽ attribuat: cum nullius omnino rei perfectrix materia ſit, quę ipſa per ſe ſemper eſt imperfecta, & re ipſa nihil eſt, ſed eam tantum facultatem habet, ut formã induere poſſit, & (quod docet Ariſtoteles) non per ſe, ſed per analogiam tantum ad formam intelligitur. Quòd ſi rebus omnibus appellationẽ atq; perfectionẽ forma ſola attribuit, ut eſt omniũ philoſophorũ ſententia, & ut nos ipſa ratio ſentire cogit: profectò etiã ſyllogiſtica forma ſyllogiſmos perfectos efficiet. non enim (ut antea dixi) ad perfectionẽ materia, ſed ſola forma refertur: ut, exempli gratia, globus æneus ſi ad rotunditatẽ rectè formetur, tam erit perfectus globus, quàm ſi fuerit aureus. quòd ſi globus aureus bene rotundus nõ fuerit, omnino dicitur imperfectus, quamuis ex precioſa materia conſtet: cum interim ille alter æneus perfectus ſit, quia bene rotundus. Idẽ dico de ſyllogiſmis. tam enim perfectus eſt ſyllogiſmus qui ex probabilibus conſtat, ſi fuerit in prima figura bene formatus, quàm qui ex neçeſſarijs, Quòd ſi

ex

ex necessarijs fiat syllogismus, necq; sit in prima figura: profectò non erit perfectus, licet ex eis constet quæ aliter esse non possunt: cũ interim ille qui ex probabilibus factus est, perfectus sit, quia sit in prima figura. Quare iam uides, & ex probabilibus perfectos syllogismos, & ex necessarijs imperfectos fieri posse: formamq́;, nõ materiam eam esse, quæ syllogismis perfectionem afferat. Itaq; cõcludendũ est, enthymemata uocari syllogismos imperfectos: non quia tantum probabilem materiam complectantur (quod tu nimis insciẽter existimas) sed quia formã syllogisticam in se perfectam non habeant.

Enthymema habere omnino eandem materiam quam syllogismus: & nunquam ex tribus enunciatis eo modo fieri, quo syllogismus perfectus, contra Nizolij sententiam. Caput V.

ILlud autem quod probare contendis, ex tribus enunciatis interdũ enthymema rectè fieri, ut ostendas, nõ forma, sed materia differre à perfecto syllogismo: nihil prorsus opinionẽ tuã adiuuat. neq; enim satis est, ex tribus enũciatis fieri syllogismũ, ut perfectã formã habeat: sed oportet etiã (quod suprà docui) ut in prima figura fiat. alioquin omnes syllogismi secundæ, tertiæq; figuræ, quoniam ex tribus enunciatis fiunt, cõtra sententiã Aristotelis perfectã formã haberent. Sed quoniã Rhodolphus Agricola de hac re quæstionẽ mouit, & quorũdã sententiã citat, qui putarẽt Aristotelẽ non discreuisse forma argumentandi à ratiocinatione enthymema, sed certo tantũ rerũ genere enthymema constare uoluisse, quos tu plusquam ineptè doctißimos appellas, cum fatearis omnino te nescire qui fuerint: huic etiã dubitationi occurrendũ est, ut ostendã totũ contrariũ: hoc est, enthymema forma argumẽtandi differre à syllogismo,

neq; ex ullo certo rerum genere cõſtare, quod ſit à ſyllogiſmi materia ſeiunctum. Atq; ut ab hoc Secundo incipiam, uolo ut intelligas, te, cum à ſyllogiſmo, rerum genere, & materia, ſeparas enthymema, contra Ciceronis, Quintiliani, Ariſtotelis, omnium deniq; bonorum auctorum ſententiam nimiũ inſcienter uerba facere. Vult enim Cicero, ex eodem genere conſtare dialecticam & rhetoricam. quod in Partitionibus apertiſsimè teſtatur his uerbis: Nihil enim eſt aliud eloquentia, niſi copiosè loquens ſapientia: quæ ex eodem hauſta genere, quo illa quę in diſputando, uberior eſt atq; latior. Quod idem in Oratore ad Brutum, & in ſecundo de Finibus affirmat. & Quintilianus tantum in hoc rhetoricam à dialectica differre uult, quòd rhetorica utatur oratione perpetua, dialectica uerò conciſa: quod etiam plurimi alij auctores tradunt. ut mirer, cur in hac re tantopere cæcus fueris. Nam ſi in eodem genere uerſatur dialecticus & orator, ut uult Cicero, cum ait, Ex eodem hauſta genere: cur non etiam ſyllogiſmus, quod dialecticorum eſt inſtrumentum, & enthymema, quod eſt inſtrumentum oratorum, ex eodem genere conſtabũt? At inquis, aliter ſentit Ariſtoteles. Imò uerò dico, Ariſtotelem in Rhetoricis apertè clamare ac dicere, eandem eſſe ſyllogiſmorum & enthymematum materiam. quod neq; te, neq; Phryſemiũ aduertiſſe demiror, cum ſtatim initio Rhetoricorum dicat Ariſtoteles: ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσιν, ἃ κοινὰ τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν, καὶ οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης. Rhetorica, inquit, ex altera parte dialecticæ reſpondet. ambæ enim de rebus huiuſmodi ſunt, quas quodammodo communiter omnes intelligere poſſunt, non autẽ in aliquo definitio ſcientiæ genere uerſantur.

Hîc uo-

Hic uolo ut aduertas illud uerbum ἀντίστροφος, quod significat reciprocũ, hoc est, quod retrorsus ualet, ut Budæus interpretatur: aut quod dicũt dialectici, ęquè pollens. quasi diceret Aristoteles: Rhetorica cum dialectica uicissim retro commeant, ut quæ rhetorica est, sit etiam dialectica: & quæ dialectica sit, rhetorica, mutata solum dicendi, siue loquendi ratione: ut idem argumentum si presse conciseq; disputetur, dialecticè: si copiose, & perpetuo tenore, rhetoricè tractari dicatur. Quòd si concedis id, quod negare non potes, eandem esse dialecticæ rhetoricæq; materiam: non'ne necesse est ut etiã fatearis, & syllogismi & enthymematis eandem esse, cum dialecticus syllogismo, rhetor enthymemate colligat? Sed duos etiam locos ex Aristotelis primo Rhetoricorum libro recitabo, in quibus apertissimè syllogismo & enthymemati materiam eandẽ subijcit: ut nemo amplius de hac re dubitare possit. Primus est, cum ait: τὸ δὲ τινῶν ὄντων, ἕτερόν τι διὰ ταῦτα συμβαίνειν παρὰ ταῦτα, τῷ ταῦτα εἶναι ἢ καθόλου, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, ἐκεῖ μὲν συλλογισμός, ἐνταῦθα δ' ἐνθύμημα καλεῖται. Quorum uerborum hic est sensus: Quoties aliquibus positis, aliud quiddã eorum causa, præter ea quæ posita sunt, sequitur, eo quòd illa sint uel generaliter uera, uel maiori ex parte, in dialectica quidem syllogismus est, in rhetorica uerò enthymema. Potest'ne clarius dicere Aristoteles, syllogismi atq; enthymematis eandem esse materiam? Secundus locus est eodem in libro, ubi etiam apertius hoc idem affirmat. placet autẽ mihi latina uerba ponere, prout ea Trapezuntius conuertit, ut omnes errorem tuum agnoscant, etiam qui Græcè nesciunt. sunt igitur hæc Aristotelis in latinum sermonem conuersa uerba: Voco igitur dialecticos & rhetoricos syllogismos, eos, quorum

locos dicimus. hi autem sunt, qui communiter de iustis, physicis, ciuilibus, & de multis specie differẽtibus sunt: ueluti maioris & minoris locus. non enim ex hoc magis ratiocinari, uel enthymema inferre poterimus de iustis, aut physicis, quàm de quocunque alio, quamuis hæc specie differant. Vides iam (ut opinor) nisi penitus cæcus es, Aristotelem eisdem ex locis & dialecticos & rhetoricos syllogismos confici uelle. Quod etiam postea Zeno uidit, cum dialecticam pugno, rhetoricam palmæ atq; dilatatæ manui similem esse dixit. est enim eadem manus, siue contrahatur, siue dilatetur: sed forma tantum differt. cuius opinionem & in secundo de Finibus, & in Oratore ad Brutum Cicero uehementer approbat. Sed quid multis exemplis opus est, cum apertissimè Quintilianus libro Quinto contra te clamet? qui docet, ex eadem quidem materia constare syllogismum & enthymema, sed argumentandi forma differre: qui uel solus Quintiliani locus tuam loquacitatem reprimere facilè potest. Nam ibi mihi planè uidetur Quintilianus Aristotelis interpres esse uoluisse. cum enim Aristoteles primo Rhetoricorum dixisset, enthymema ex paucis confici, & sæpe ex paucioribus quàm ea sunt ex quibus constat primus syllogismus, Quintilianus ita sententiam Aristotelis explicuit: enthymema ab alijs oratorius syllogismus, ab alijs pars dicitur syllogismi, propterea quòd syllogismus utique conclusionem & propositionem habet, & per omnes partes efficit quod proposuit: enthymema tantum intentum intelligi, contentum sit. Syllogismus talis: Solum bonum uirtus: nam id demum bonum est, quo nemo malè uti potest: uirtute nemo male uti potest, bonum est ergo uirtus. enthymema ex conse-

quentibus: Bonum est uirtus, qua nemo malè uti potest. Et contrà, non est bonum pecunia: non enim bonum, quo quisquam malè uti potest: pecunia potest quis malè uti, non igitur bonum est pecunia. enthymema ex pugnantibus: An bonum est pecunia, qua quisquam potest malè uti? Si pecunia quæ est in argento signato, argentum est: qui argentum omne legauit, & pecuniam quæ est in argento signato, legauit: argentum autem omne legauit, igitur & pecuniam quæ est in argento, legauit. Habebit formam syllogismi. Oratori satis est dicere: Cum argentum legauerit omne, pecuniam quoque legauit, quæ est in argento. Hæc Quintilianus. quibus intelligi perspicuè potest, eadem ex materia confici syllogismum & enthymema, sed forma tantum argumentandi differre: quin etiam ex paucioribus enthymema, quàm syllogismum constare: quia ferè semper in enthymemate simplici deest una propositio. qua de causa Iuuenalis curtum appellauit, cum ait: Ne curtum sermone rotato Torqueat enthymema. Sed ait Phrysemius tuus: Quorsum attinebat, ut Aristoteles diceret enthymema sæpe ex paucioríb. partibus constare, quàm syllogismum, si non interdum & ex totidē fieret? Imò uerò dico ego nō tantū ex totidē, sed etiā ex multo pluríb. partibus, quā syllogismū enthymema nōnunquam fieri: neque tamē ideo uocari imperfectū syllogismum, quia diuersam à syllogismo materiam habeat, sed quia non eadem forma conficiatur. Verùm ut hoc clarius intelligatur, mihi ex Quintiliani sententia distinguendum est enthymema: quoniam aliud est enthymema simplex, aliud autem multiplex, siue compositum. Simplex enthymema ferè semper ex paucioribus constat, quàm syllogismus: quoniam ex proposi-

tione atque ratione ferè fieri solet, ut sentit Aristoteles & Quintilianus, uel ex consequentibus, uel ex repugnantibus. Quæ à quibusdam sola enthymemata uocantur, talia sunt: Iure cęsus est Clodius, quia fuit insidiator: Bonum est uirtus, qua nemo malè uti potest: Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius uitam si putetis per uos restitui posse, nolitis? Aliquando uerò simplex enthymema fit quidem ex totidem, quot syllogismus, sed ordine conuerso, ut inferius suo loco docebimus. Enthymema uerò multiplex, siue compositum, longè plures habere partes potest: quippe cum idem aliquando sit quod argumentatio, siue probatio rhetorica, quemadmodum iam suprà docuimus. Argumentatio uerò cum integra est atque perfecta, quinque partibus efficitur (ut ait Cicero) propositione, ratione, assumptione, assumptionis approbatione, & complexione. quæ quidem partes interdum multiplicantur, cum unicuique earum non una tantũ, sed plures rationes adiunguntur. Et hoc est quod aiunt, rhetoricam latè copiosé que dicere: quia licet ex paucioribus enunciatis, quàm fiat syllogismus, enthymemata simplicia cõstruat, tamẽ ea frequentissimè multiplicat, & quodammodo conglobat, rationesque rationibus continenter adiungit: usque adeò, ut in uno composito enthymemate sæpenumerò plurimorum syllogismorum terminos & uim complectatur. Hac de causa dixit Aristoteles, ex paucis enthymema consistere, & sæpe ex paucioribus, quàm primus syllogismus: intelligens de simplici, non autem de multiplici & conglobato. Quod ut apertius fiat, sumamus unum ex Cicerone compositum ac multiplex enthymema, & uideamus quot in eo syllogismi esse possint. tale est illud pro Milone: Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc uo

luit

luit cum aliquorum querela: quem iure, quem loco, quem tempore, quem impunè non est ausus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitauit occidere: dico, in hoc uno enthymemate quinque perfectorum syllogismorum terminos ac uim inesse, qui possunt ita sigillatim cōformari. Primus hoc modo: Quicunque potest aliquem cum omnium gratia interficere, eum non uult interficere cum aliquorū querela: Milo Clodium cum omnium gratia interficere potuit, ergo noluit eum cum aliquorum querela interficere. Secundus ita: Nemo uult quenquam iniuria occidere, cum eum occidere iure potest: Sed Milo iure potuit Clodium occidere, nō igitur eum iniuria occidere uoluit. Tertius hoc modo: Cum aliquem commodo loco quis occidere potest, eum iniquo loco non uult occidere: Milo Clodium occidere commodo loco potuit, nō igitur eum iniquo loco occidere uoluit. Quartus ita: Nemo uult eum alieno tempore interficere, quem opportunè interficere potest: Milo Clodium opportunè potuit interficere, non igitur eū alieno tempore interficere uoluit. Quintus hoc modo: Si quis impunè quenquam occidere potest, eum cum periculo capitis non uult occidere: Milo potuit impunè Clodium occidere, non ergo eum cū periculo capitis occidere uoluit. Iam igitur profectò uides, quanto ex paucioribus enthymemata sua rhetores conficiant, quàm dialectici syllogismos. Itaque quod ais, ex tribus, & etiam pluribus interdum partibus enthymema fieri, si de simplici enthymemate sentis, omnino deciperis: quoniam hoc uel sententiam unam cum ratione continet, uel ex contrarijs conficitur, ut diximus. si autem de composito, uerum dicis: quoniam idem aliquando est cōpositum enthymema,

quod argumentatio, uel etiam enumeratio rhetorica: quale est illud, quod tu ex principio secundę Olynthiacæ Demosthenis citas, & quod Aristoteles in Secundo Rhetoricorum ex diuisione facit. Sed quid erat opus ex Demosthene, Aristotele, Hermogenis interprete citare exempla: cum talibus enthymematis totus refertus sit Cicero. nulla est enim in Orationib. Ciceronis penè dixerim pagina, in qua non sint enthymemata composita & quodammodo prægnantia, quę in plures syllogismos diffundi possint: nam initio statim Orationis pro Milone (ut exemplo declarem id quod dico) est enthymema compositum ex quinque partibus, hoc est, propositione, duabus rationibus, & duabus contentionibus. Propositio est illa: Hæc noui iudicij noua forma terret oculos. prima ratio: Qui quócunque inciderint, ueterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum minimè uident. Secunda ratio: Non enim corona consessus uester cinctus est, ut solebat, non usitata frequentia stipati sumus. Prima contentio: Nam illa præsidia quæ pro templis omnibus cernitis, etsi contra uim collata sunt, non afferunt tamen oratori aliquid, ut in foro, & in iudicio. secunda contentio: Quanquam præsidijs salutaribus & necessarijs septi sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possumus.
Hoc unum est enthymema compositum, quo probauit Cicero, sibi omnino timendum fuisse. Non ita multo pòst in eadem oratione, probat enthymemate composito, Senatum non constituisse quæstionem contra Milonem. constat autem illud enthymema quatuor partibus, propositione, duabus rationibus, & argumento à repugnantibus. Propositio hæc est: Hanc uerò quæstionem, etsi non est iniqua, nunquam tamen

Sena-

Senatus constituendam putauit. Prima ratio: Erant enim leges, erant quæstiones uel de cæde, uel de ui. Secunda ratio: Nec tantum mœrorem ac luctum Senatui mors P. Clodij afferebat, ut noua quæstio constitueretur. Argumentum à repugnantibus: Cuius enim Senatui de illo incesto stupro iudicium decernendi potestas esset erepta, de eius interitu quis credere potest Senatum iudicium nouum constituendum putasse? Atque huius generis alterum statim enthymema sequitur, quod habet propositionem, duas rationes, & annexum argumentum à repugnantibus: quod quidem annotato loco facilè quiuis uidere potest. Iam uerè pulcherrimum in eadem oratione tribus ex partibus cõstans enthymema notauimus, quod habet propositionem, & bipartitam contentionem. Propositio hæc est: Quid? quod caput audaciæ est, iudices, quis ignorat maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem? Contentio: In utro igitur hæc fuit? Prima contentionis pars: In Milone, qui etiam nunc reus est facti aut præclari, aut certè necessarij? Secunda pars contentionis: An in Clodio, qui ita iudicia pœnam'que contempserat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret? Sepenumero etiam bipartita fiunt enthymemata, quæ simplicia dicuntur (ut initiò docui) de quibus præcipuè locuti sunt artis scriptores. qui enim rectè quæ simplicia sunt, intelligit, is etiam composita facilè poterit intelligere. Sed iam satis à nobis declaratum est, à syllogismis enthymemata non materia, sed argumentandi tantum forma differre: atq; ideo syllogismos imperfectos dici, non quia materiam tantum probabilem

habeant,

habeant, sed quia nunquam formentur in prima syllogismorum figura, in qua sola fiunt perfecti syllogismi, quemadmodum censet Aristoteles.

Conclusionem argumentationis sæpius ab oratoribus in principio, quàm in fine poni: quod imperitè Nizolius, fieri nunquam ait. Caput VI.

IAm uerò quòd ais, nulla tamē addita more tuo ratione, conclusionē nunquam in argumētationis principio, sed in fine tantùm ab oratoribus poni solere: uide primò, quo modo uiro doctißimo Rhodolpho Agricolæ respondeas, qui notauit ex Cicerone, nonnunquā fieri, ut conclusio primum argumentationis locum obtineat: deinde cogita, quæ ego contra tuam istam sententiam proferam: & intelliges, quantum flagitij commiseris, qui id nūquam fieri dicas, quod ferè semper ab oratoribus ego fieri demonstrabo. Sed mihi prius libet Agricolæ uerba recitare, quibus apertè mendacem te esse ostendit. Sic enim libro tertio, capite xiiij. scriptum reliquit: At in eadem oratione paulo antè cōuertit prorsus totum ratiocinationis ordinem Cicero, primamq́ conclusionem ponit: In M. Cælio nulla luxuries reperitur, nulli sumptus, nullum æs alienum, nulla conuiuiorum & lustrorum libido: quæq́ sequuntur. Hoc est enim quod probandum est. deinde cum subdit: Audistis antea, cum accusaret, minorem propositionem facit, quæ est, Cælium summa eloquentiæ studiorumq́ cura teneri. postremò maiorem addit: Atqui scitote iudices, eas cupiditates quæ obijciuntur Cælio, atq; hæc studia de quibus dispùto, non facile in eodem homine esse posse, ut sit ratiocinatio: Non possunt in eo, in quo est summus studiorum amor, esse etiam prauæ cupiditates: in Cælio est summus studiorum amor, non possunt ergo

in.

in eo esse prauæ cupiditates. Hactenus Agricola. ubi sane uidere potes, quantopere decipiaris. Ac mihi quidem uidentur in omnibus ferè argumentationibus suis oratores, conclusiones primo loco ponere: quorum tu artis adeò imperitus es, ut id quod frequentissimè fieri solet, nunquam omnino fieri existimes. Cum enim duo sint argumentandi genera, ut in Partitionibus Cicero docet, quorum alterum ad fidem directò spectat, alterum & ad fidem, & ad motum: illud prius ordinem quodammodo naturalem sequitur, ut primò proponat, deinde assumat, tum concludat: unde ex tribus enunciatis siue propositionibus fieri dicitur, maiore, minore, & conclusione; quo genere sæpius dialectici & philosophi suis in disputationibus uti cōsueuerunt: hoc autem quod ad motū accōmodatur, primò conclusionem proponit, ut audientes excitet, quam deinde probat: & id quod fuerat proponendū, in extremo loco ponit, quod argumentandi genus oratorum est proprium, qui non tantum docere, sed etiam motum animis adhibere contendunt. Itaq; statim ea sibi proponenda esse censent, quæ mouere audientium expectationem possint. At in tota argumentatione nihil est, quod magis conclusione moueat. eam igitur primo loco proponunt, & audientium animum excitant, ad ea diligenter animaduertenda, quibus proposita cōclusio probetur. Et hoc est quod in Partitionibus docet Cicero: quem locum si aut legisses, aut intellexisses, nunquam profectò tam insciте negasse conclusionem primo loco poni. Sed præstat ipsius Ciceronis uerba recitare. Sic igitur ait ibi: Argumentandi autem duo sunt genera, quorū alterum ad fidem directò spectat, alterum se inflectit ad motum. Dirigitur, cum proposuit aliquid, quod probaret, sumpsitq; ea

u quibus.

quibus uteretur. atque his confirmatis, ad propositum se se retulit atque conclusit. illa autem altera argumentatio quasi retrò & contrà prius sumit quæ uult, eaque confirmat: deinde id quod proponendũ fuit, iacit ad extremũ. Audis quid dicat Cicero, in argumentatione quæ ad motum inflectitur, prius sumẽdam esse conclusionem? Quid est enim quod ait, Quasi retrò prius sumit quæ uult: nisi, conuerso ordine incipit à conclusione, quam probare uult, ut magis moueat? Quod si Ciceronis orationes perlegeris, in quibus nihil unquam præter uerbate notasse credo: certè uerum id esse, quod ego dico, intelliges. rarissimè enim aliter argumentatur Cicero: sed semper ferè conclusiones primo loco ponit, & eas deinde uel addita propositione, & assumptione, atque utriusque rationibus confirmat: uel (quod sæpius fit) propositionem aut penitus prætermittit, si nota est, aut leuiter tangit: quod mihi duobus aut tribus exemplis cõfirmasse, satis erit. Pro Milone concludere uult Cicero, Miloni Clodium insidias fecisse. certè negare non potes, hanc esse conclusionẽ. id enim quod probandum sumimus, per ea quę uel necessaria, uel probabilia sunt, in cõclusione ponitur, ut omnes intelligunt. Quid ergo? an non hanc conclusionem statim initio totius argumentationis ponit, cum ait: Quo'nam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere: & quæ sequuntur. Multis enim rationibus hanc conclusionem probat. nam post conclusionẽ ponit maiorem propositionem, quæ ex illo Casśiano dicto pendet, Cui bono fuerit. ut sit hæc propositio maior: Verisimilius est eum fecisse insidias, qui magnam causam, magnam spẽ, magnas utilitates in alterius morte ꝓpositas habebat. Cui

deinde

deinde adiungit minorem, Clodium in morte Milonis multas utilitates sibi proposuisse: quod multis rationibus probat. atq; ita cõficit quod proposuerat. In eadem oratione, cum probare uelit, deorum uoluntate Clodium fuisse interfectum, primò proponit conclusionem: Non est humano consilio, ne mediocri quidem, Iudices, deorum immortalium cura res illa confecta. quam ab impietate Clodij probat, quòd religiones omni scelere polluisset, quòd sanctissimos lucos prostrauisset, & cætera quę ibi multa commemorat. minorem enim tantum propositionẽ addit, quia maior nota est, impios deorum uoluntate puniri. Alibi in eadẽ oratione, cum probare uult, à Senatu non esse constitutam quæstionem contra Milonem, conclusionem hanc primo loco ponit: Hanc uerò quæstionem, etsi non est iniqua, nunquam tamẽ Senatus constituendam putauit. quam additis rationibus confirmat. Sed quid exempla commemoro, cum rarissimè aliter faciat Cicero (quod mihi rectè uidentur etiam dialectici, ac philosophi, atque etiam iurisconsulti nostri temporis intellexisse: qui cum aliquid publicè disputare uolunt, dicunt se conclusiones sustinere uelle. & ea pronunciata quæ disputanda proponunt, conclusiones appellant: quia scilicet in directa argumentatione postremum locum occupant, & totam argumentationem concludunt. Sed (ut initio dixi) rarò oratores directa argumentatione utuntur, sed frequentius inflexa ad motum. quo fit, ut longè frequentius conclusiones in argumentatione primo loco statuant, quàm in extremo: ut ecce Cicero pro L. Manilia, cum excitare Quiritium animos ad bellum cõtra Mithridatem gerendũ studeret, quatuor proponit conclusiones, quas deinde sigillatim probat. prima est: Agi

tur in hoc bello populi Romani gloria. secunda: Agitur salus sociorum atque amicorum. tertia: Aguntur certissima populi Romani uectigalia, & maxima. quarta: Aguntur bona multorum ciuium. His propositis, mouendi gratia ad unamquamque confirmandam aggreditur. Sed hoc (ut dixi) ferè semper facit, quod te nunquam aduertisse demiror.

Quod ait Nizolius, in enthymematibus rhetoricis conclusionem ferè semper desiderari, falsum esse omnino: cum nunquam ipsa conclusio desideretur, sed tantum altera praemissarum (ut uocant) & saepius maior, quam minor. Cap. VII.

EX ista tua tam falsa opinione, natus est alius insignis error. cum enim omnes & Graecos & Latinos auctores uituperare cõtendas, quòd nõ rectè sententiã Aristotelis explicuerint, quam tu (quod iam suprà docui) pessimè accipis: inter caetera dãnas illud etiã, quòd existimauerint conclusionẽ in enthymematibus nunquam relinqui, cum (ut ipse ais) ferè semper relinquatur. At ego ueterum opinionem secutus, dico te planè totùm errare, neque omnino quam uim habeat enthymema cognoscere. uis enim ferè semper in eo conclusionem relinqui, cum ferè nunquã relinquatur. Vis utramque praemissarũ saepissimè exprimi, cum rarissimè maior exprimatur, neque unquam ferè, nisi in argumentatione absoluta: quorum profectò errorũ causa est, quia nunquam aduertisti consuetudinem esse oratorum, ut (quod superiori capite diximus) argumentationem ferè semper inuertant, & cõclusionem primo loco ponant. Dicunt autem omnes ferè, quicunque de enthymemate uerba faciunt, illud ex altera praemissarum, hoc est uel maiore, uel minore atque ex conclusione constare: atque ideo dici imperfe-

imperſectum ſyllogiſmũ, eo quòd ferè ſemper una propoſitio deſit. frequentiusq̃ accidere uolunt, ut maior prætermittatur, quàm minor: quia maior plerunq̃ ſolet eſſe nota, & quod omnes, aut plerique ſciunt, id in enthymemate poni nòn cenſent oportere. quæ cum dicunt, nihil omnino ab Ariſtotelis ſententia diſcedũt, qui docet in enthymemate duo eſſe fugienda uitia: primum, ne altius rem repetamus, quàm oporteat: alterum, ne propoſitiones notas & apertas ſumamus. τὸ μὲν γὰρ, inquit, ἀσαφὲς διὰ τὸ μῆκος, τὸ δ' ἀδολεσχία διὰ τὸ φανερὰ λέγειν. Et alibi ait, enthymemata ex paucis, & ſæpe ex paucioribus conſtare, quàm ſyllogiſmũ. Nam ſi quid perſpicuum eſt, inquit, id dicendũ nõ eſt. Peto igitur à te, quid ſit illud quod præcipit nobis Ariſtoteles ne dicamus, ſi ſit perſpicuum. Vtrum id quod probare uolumus, an aliquid aliud? Si quod probare uolumus, ridiculum ſanè erit Ariſtotelis præceptum: primò, quia nemo probare conatᷓ ea quæ perſpicua ſunt: deinde, quia abſurdum eſt, precipere nobis, ut id ne dicamus, quod probare cupimus. quomodo enim quis probare poterit, id quod non dicit? ſi uerò aliquid aliud, quàm quod probare cupimus, iubet nos Ariſtoteles prætermittere, certè non erit prætermittenda cõcluſio, quoniam ea eſt tanquam probationis noſtræ ſcopus: & quicquid probare cogitamus, id ad concluſionem refertur. Rectè igitur ſenſerunt, non concluſionem, ſed alteram ex præmiſſis, quæ ſcilicet apertior ac notior fuerit, ex Ariſtotelis ſententia prætermittendam. Sed iam ad exempla ueniamus, quibus perſpicuè demonſtremus, te nihil in hac re penſi habuiſſe. Atque illud aduertendum eſt, enthymema uocabulum quidẽ eſſe rhetoricum (ut ſuprà docui) ſed tamen interdum etiam philoſophos, dialecti

eos, & reliquos artifices (ut Rhodolphus ait) eo ut solere, quia breuius probationem suam explicat, quàm syllogismus. Rem igitur eandem syllogismo fusius, enthymemate breuius hoc modo probabimus. Sit conclusio, Clodius iure cæsus fuit. erit igitur hic syllogismus: Omnis insidiator iure occiditur: Clodius fuit insidiator, ergo Clodius iure cæsus fuit. ex hoc syllogismo fiet enthymema, si maior, uel minor prætermittatur. maior hoc modo: Clodius fuit insidiator, ergo iure cæsus fuit. minor autem ita: Omnis insidiator iure interficitur, ergo etiam Clodius. Hæc sunt enthymemata directo ordine formata. nam (ut hoc etiam aduertas) duplex est enthymematis genus, alterum directum, alterum inflexum, quod superius ex Ciceronis Partitionibus ostendimus. directa sunt hæc enthymemata quæ diximus, quibus uel nunquam, uel certè raro utetur orator: sed ea inflectet, & quasi retrò & contrà prius conclusionem sumet, hoc modo: Iure cæsus est Clodius, quia fuit insidiator. nam conclusio est illa, Iure cæsus est: quæ primo loco ponitur. illa uerò ratio, quæ adfertur, Quia fuit insidiator: minor est propositio, quod omnes intelligere facile possunt. Ita si quis dicat, Dignus est supplicio Catilina, quoniam in patriam coniurauit: enthymema est inflexum, ex conclusione & minori propositione constans. Quod ita directò proponeretur: Catilina in patriam coniurauit, ergo supplicio dignus est. maior enim per se nota est, Omnes qui coniurant in patriam, supplicio dignos esse. ut si lex esset, quæ iuberet calumniatoribus omnibus linguam præcidi, atque illa ferè omnibus esset nota, certè satis esset dicere: Nizolius est calumniator, ergo lingua illi præcidenda est, hoc enim dire-

directum esset enthymema, quod inflecti posset hoc modo: Nizolio lingua præcidenda est, propterea quòd est calumniator. nam profectò conclusio illa est, Vt tibi lingua præcidatur: cui minor additur propositio, quoniam es calumniator: & illud ex lege notum est, omnibus calumniatoribus linguam esse precidendam, atque ideò tanquam perspicuum non dicitur. Accidit tamen nonnunquam, ut inflexo enthymemati maior etiam propositio adiungatur, si non ita nota fuerit, sed extremo demum loco: ut, Voluptas propter se expetenda est, propterea quòd est bona, & omne bonum propter se est expetendum. nam primo loco est conclusio, Voluptas propter se expetenda est: Secundo loco minor propositio, Voluptas est bona: tertio loco propositio maior est, Omne bonum propter se est expetendum. quod enthymema conuerso ordine statim syllogismus euadet, hoc modo: Omne bonum propter se est expetendum, Voluptas est bona, ergo propter se expetenda. Totidem igitur aliquando propositiones habet enthymema, quot syllogismus: sed tamen eandem argumentandi formam nunquam sequitur, atque ideò (quod suprà docui) uocatur imperfectus syllogismus. Ex hoc intelligi facilè potest Aristotelis sententia, qui dixerit sæpe ex paucioribus enthymema consistere, quàm primus syllogismus. quoniam nonnunquam accidit, ut totidem habeat propositiones, quot etiam syllogismus habet, sed inflexo ordine positas, non autem directo: quod etiam altero exemplo declaro. hoc enim est enthymema: In Cælio nulla est luxuries: est enim deditus optimarum artiũ studijs, quo in hominũ genere nulla luxuries esse solet. dico totidẽ in hoc enthymemate propositiones esse, quot in syllogismo perfecto.

quod quidē intelligere quilibet poterit, si retro agatur, & sursum uersus ordo propositionum collocetur, hoc modo: In eis qui dediti sunt optimarum artium studijs, nulla luxuries esse solet: Cælius optimarum artium studijs deditus est, ergo nulla est in Cælio luxuries. Atque hoc intellecto, quotcunque uolueris, ex tribus propositionibus inflexa enthymemata formare potueris: quæ licet rarò reperiantur, tamen quia nonnunquam eis utuntur oratores, non sunt negligenda: cum presertim ad reliquorum enthymematum cognitionem ferè necessaria esse uideantur. Formemus igitur tria aut quatuor, in quibus oratorum more cōclusio semper in principio ponatur. Insuēdus est culeo Malleolus, & in profluentem deijciendus: est enim parricida. lex autem iubet, ut omnes parricidæ culeo insuti, in profluentē deijciantur. hoc enthymema ex tribus enunciatis constat, conclusione, minore propositione, & maiore. cuius generis erit etiam illud: Bellum contra Mithridatem nullo modo negligere debetis Quirites: agitur enim in eo populi Romani gloria, cuius conseruandæ gratia nullum est bellum, quod negligere debeatis. rursus illud: Non est credibile iudices, à Roscio patrem interfectum fuisse: est enim Roscius uir probatis moribus, & innocens, qui nullum unquam maleficium cōmiserit. at certè nemo tantum scelus aggreditur, nisi qui antea perditissimus fuerit. Addo etiam unum eiusdem generis: Iure Nizolium reprehendo iudices atque adeò longè modestius & lenius, quàm à me tractari, reprehendique dignus esset. is enim suis in scriptis non tantum plurimos commisit errores, sed etiam omnia quę cogitare potuit, in me conuicia maledictaque congessit. quis autem non intelligit, errantes & maledicos uerissimis rationibus

& argumẽtis esse reprehendẽdos? Ex his profectò exẽplis intelligi potest, enthymema forma tantũ argumentandi à syllogismo differre: recteq́; nonnunquã ex totidem enunciatis enthymema fieri, ex quot syllogismus conficitur, sed inflexo semper ordine. cum enim ordo rectus est in tribus his enunciatis, non amplius enthymema, sed iam syllogismus est. Quare desine tandem cum Phrysemio tuo nugari, quoniam apertè iam errorem tuum potes agnoscere. Sed auctoritate Ciceronis probemus, in enthymemate ferè semper conclusionem primo loco poni. pro Ligario, statim post narrationem, initio confirmationis hoc utitur enthymemate: Adhuc, C. Cæsar, Q. Ligarius omni culpa uacat. domo est egressus non modò nullum ad bellũ, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli: dico illam esse cõclusionem, Q. Ligarius omni culpa uacat. maior autem propositio subintelligitur: Quicunq; nullum ad bellum profecti sunt, omni culpa uacant. In eadem oratione pulcherrimum est enthymema cõpositum, in quo duæ sunt conclusiones, & duæ minores propositiones. Quo quidem in enthymemate doctissimi uiri Quintiliani acumen desidero, qui non satis eius uim mihi uidetur agnouisse. ait enim Cicero: Causa tum dubia, quòd erat aliquid in utraq; parte, quod probari posset: nunc melior certè ea iudicanda est, quam etiam dij adiuuerunt. Quid hoc loco probare uult Cicero? nempe initio belli ciuilis causam fuisse dubiam, quæ est una conclusio. Quid tum? Cæsaris causam fuisse meliorem, quæ est altera conclusio. Prima igitur conclusio probatur ea ratione, quòd esset aliquid in utraq; parte, quod probari posset: secunda uerò, à deorum auctoritate, qui Cæsaris causam adiuuerunt. Potest igitur hoc enthymema compositum

in duo simplicia resolui, quæ directo ordine formentur hoc modo: Tunc erat aliquid in utraque parte, quod probari posset: ergo causa erat dubia. hoc primum est, illud secundum: Nunc Cæsaris causam Dij adiuuerunt, ergo est melior iudicanda. Vides igitur, in utraque parte huius compositi enthymematis à Cicerone conclusionem primo loco positam. quare non uideo cur dicat Quintilianus, hoc enthymema conclusionem non habere: nisi fortasse intelligat eo modo, quo syllogismus habere solet. hoc enim uerissimum est, & id mihi uidetur innuere, cum ait: Ita est ille imperfectus syllogismus. Nam si ad syllogismum reducatur hoc enthymema, manifestò apparebit in utraque parte positam à Cicerone conclusionem: sed eam primo loco esse. formentur ergo syllogismi hoc modo: In quacunque causa est aliquid, quod in utraq; parte probari posit, illa est causa dubia: sed in hac causa tum erat aliquid, quod in utraque parte probari posset: ergo hæc causa tum erat dubia. Ecce quomodo incepit à conclusione Cicero, cũ ait, Causa tum dubia. Secunda pars eius enthymematis, hoc modo ad syllogismum reducetur: Quamcunq; causam dij adiuuant, illa est melior iudicanda: Cæsaris causam dij adiuuerunt, ergo melior ea iudicanda est. hanc igitur etiam secundam partem (ut uides) à conclusione incepit. Quid? illud quod statim sequitur enthymema, non'ne incipit à conclusione?. Quis non eam uictoriam probet, in qua occiderit nemo nisi armatus? ut sit directum enthymema ex minori, & conclusione hoc modo: In hac uictoria nemo occidit nisi armatus, ergo maximè est probanda. Vnum etiã addam ex eadem oratione, à repugnantibus sumptum enthymema, deinde finem exemplorũ huius

huius generis faciam, quæ penè sunt apud Ciceronem innumerabilia. Sic igitur ait Cicero: An ſperandi Ligario cauſa non ſit, cum mihi apud te ſit locus etiam pro altero deprecandi? Dic mihi Nizoli, quid hoc enthymemate concludere uult Cicero? quid probare? an nõ, Ligario cauſam eſſe ſperandi? potes'ne inficiari hoc eſſe, quod cõcludere ſtudet? potes'ne dicere, hanc nõ eſſe huius enthymematis concluſionẽ? Quem autem locũ obtinet? an non primũ? certè primum. Ponitur igitur in enthymemate primo loco concluſio. quod ſi directum fiat hoc idem enthymema, concluſio ſecundum locum obtinebit, hoc modo: Si mihi apud te locus eſt etiam pro altero deprecandi, ergo etiam ſperandi Ligario cauſa erit. Sed illud primum quod inflexum dicitur, enthymematis genus (ut iam antea dixi) magis eſt oratorium. Satis igitur iam declaratum ſit, omnia ferè enthymemata rhetorica à concluſione incipere ſolere: quæ quia primo loco ponitur, ſæpiſsimè propoſitio nuncupatur. atq; hac de cauſa dicere ſolemus, enthymemata ex propoſitione & ratione confici: quod idem eſt, ac ſi diceremus, ex concluſione & minori propoſitione. nam propoſitio minor, ferè ſemper eſt ratio ſeu probatio concluſionis in enthymemate. Tu uerò tantus aliorum reprehenſor, qui Græcos & Latinos interpretes, Ariſtotelis ſententiam peſsimè accepiſſe dicis, & multipliciter erraſſe: hac in re mihi, ſicut etiam in alijs plurimis, pueriliter ineptire uideris. ais enim, in omni enthymemate tres partes eſſe principales, propoſitionem, probationem, & concluſionem: deinde, nullum penitus ex auctoribus harum trium partium exemplum adfers. Verùm conaris & Quintilianum, & Ariſtotelem in tuam ſententiam trahere,

here cum neuter eorum hoc usquam dicat, quod tu somniasti. Quin etiam exẽplum illud quod ex Aristotele quidem sumis, sed arbitrio tuo concludis, sententiam meam uerissimam esse ostendit, ut tu ipse per summam imprudentiam causam meam confirmes. Cum enim tres partes dicas esse principales in omni enthymemate, propositionem appellas enunciationem, qua proponitur id quod probandum est: ut, Pittacus est liberalis. probationẽ uocas rationẽ, qua probatur id quod propositum est: ut, Pittacus enim est ambitiosus, & ambitiosi sunt liberales. cõclusionem ais esse, id quod ex probatione ad extremum colligitur: ut, Pittacus igitur est liberalis. sed ais hanc conclusionem de more ferè semper omitti. Hoc tuum est exemplum, & tua de enthymemate sententia: in qua dico te, licet imprudentem, sententiam meam mirificè confirmare. Dic enim mihi, quę nam est istius exempli tui propositio? an non hæc, Pittacus est liberalis? certè tu ita uis. Quis igitur non uidet eandem esse, te auctore, propositionem, & conclusionem, nisi quod in conclusione additur ergo, uel igitur? fateris autem, conclusionem ferè semper omitti: quia scilicet (ut ego interpretor) ineptum esset bis idem repetere, cum iam cõclusio sit initio posita, quæ eadem propositio dicitur. Quid ergo? non'ne tuo te gladio iugulari sentis? quid ais acute uir? Quænã est in enthymamate probatio? est, ais, ratio, qua probatur id quod propositum est. sit ita. Quid? ea ex quibus partibus constat? aliquando, ais, ex duabus, hoc est ex maiore & minore propositione: aliquando ex una tantummodo, ut si maior uel minor propositio prætermittatur, quod sæpe accidit. Hæc sanè tua uerba sunt. Dic igitur quæso mihi, cum enthymematis probatio sit ex maiore & minore

propositi-

propositione, quid illi deest ad perfectum syllogismũ? certè nihil, præter conclusionem. fingamus igitur, addi etiam conclusionem, quoniam (ut ipse ais) aliquando additur: tunc certè erit syllogismus perfectus: ex maiore, & minore, & conclusione constans. Vbi erit ergo tunc propositioni locus, cum sine illa plenè conclusum sit? Es'ne adeò tardus, ut non intelligas, cũ in probatione maior & minor propositio ponitur, tunc enthymematis propositionem necessariò uim habere conclusionis? imò uerò ne propositionem quidem propriè tunc dici posse? quàm enim esset ineptũ, si quis diceret: Hoc enthymema cõstat ex ꝓpositione, & ꝓpositione maiore, & propositione minore? certè tunc ea quæ primo loco ponitur, cõclusio dici debet. ut in eo exẽplo, Pittacus est liberalis: est enim ambitiosus, & omnes ambitiosi sunt liberales. quod si directò formetur, facilè potest intelligi, hos modo: Omnes ambitiosi sunt liberales: Pittacus est ambitiosus, ergo Pittacus est liberalis. Sed sæpe accidit, ais, ut uel maior uel minor propositio in probatione prætermittatur. hoc uerum est, atq; adeò sæpius maior, quàm minor prætermittitur. Quid deindè? dices'ne tunc enthymema constare ex propositione, & propositione minore? quàm ridiculus esses, si ita loquereris? Quare fatere tandem, illam quam in enthymemate propositionem appellamus, esse conclusionem, quæ non natura, sed loci tantum ratione propositio dicitur, quia scilicet apud oratores in argumentando primum locum obtinet: quam uerò probationem dicimus, siue rationem, esse uel maiorem propositionem, uel minorem, uel utramq; simul, qua cõclusio primo loco posita probatur: nullius enim alterius rei gratia probatio, siue ratio ponitur in enthymemate, nisi probandi & conclu

dendi, quod propositum est. quo fit, ut propositio & conclusio in enthymemate necessariò sit eadem. Sed aliter, iniquies, Demosthenis interpres Vlpianus sentit. qui in secunda Olynthiaca scribit, in enthymemate solere nos duas tantum propositiones ponere, & conclusionem tacere. primùm dico apud nos plus ueram rationem ualere debere, quàm istius Vlpiani auctoritatem: deinde uideo posse etiam Vlpiani sententiam cum nostra conuenire. nam συμπέρασμα, quod ait Vlpianus in enthymematibus taceri solere, non tam conclusionem significat, quàm concludendi modum: quod multis in locis apud Aristotelem uidere licet. Comparat igitur Vlpianus dialecticos cum oratoribus, ut ostendat oratores non eo genere concludendi uti solere, quo dialectici utuntur. uolunt enim dialectici pressius auditorem atque aduersarium urgere, & quodammodo cogere ut se uictum fateatur, atque ideò conclusionē ultimo loco ponunt. quin etiam sæpissimè, atque adeò maiori ex parte & primo & ultimo loco ponere cōclusionem solent hoc modo, ut Quintilianus docet. Bonum est uirtus: nam id demum bonum est, quo nemo malè uti potest. uirtute nemo malè uti potest, bonū est ergo uirtus. Sic ferè dialectici τὸ συμπέρασμα & primo & ultimo loco ponunt. Sed (ut dixi) ultimū enunciatū propriè συμπέρασμα dicitur, hic est cōcludendi modus, quo nunquam ferè, uel certè rarissimè solent oratores uti. Satis enim habent duas illa propositiones dicere, Bonum est uirtus, qua nemo malè uti potest: ipsam uerò maiorem propositionem quæ est, Id demum bonum est, quo nemo malè uti potest, & concludendi modum qui est, Bonum est ergo uirtus, auditori cogitandum, atque animo uoluendum relinquunt. Vides igitur, ut etiam Vlpianus

pianus iste tuus mecum sentiat. aliud est enim conclusio, aliud concludendi modus. Conclusio uocatur, quicquid probandum atque concludendum assumitur, quod (ut dixi) primo loco ferè ponitur apud oratores. Cōcludendi modus id dicitur, quod extremum additur in argumentatione, quo dialectici ferè semper, oratores ferè nunquam utuntur. Quoquò igitur te uertas, tandem necesse est ut fatearis, ueram esse dialecticorum nostrorum sententiam, qui uolunt enthymemata maiori ex parte ex una tantum propositione, hoc est, uel maiore, uel minore, atque ex conclusione constare, quamuis (ut initio docui) sæpius maior, quàm minor prætermittatur: te uerò frustra contra illos tot ambages cōgessisse, atque imperitissimè nugatum esse.

Nizolium, cum de enthymemate loqueretur, sibi ipsum contradixisse, & in duos insignes errores incidisse.

Caput VIII.

HActenus à me omnia refutata esse existimo, quæ in Antapologia tua alicuius esse momēti uidebantur: in quibus quantam errorum tuorum multitudinem annotarim, omnes quibus hæc legere uisum fuerit, intelligere facilimè poterunt. Superest, ut etiam alia quædam sigillatim errata tua colligam, quæ partim cum excusare uelles, longè clariora & apertiora fecisti, partim autē propter summā imperitiā aduertere non potuisti. Nam primū illud in quo turpiter peccaueras, & tibi ipse contradixeras, quàm acutè defendisti? primò enim ex Aristotelis sententia docueras, enthymema esse syllogismum: deinde non ita multo pòst, exemplo quodam posito, dixeras: Hic non est syllogismus, neque ad syllogismum reduci potest: relinquitur ergo, ut sit enthymema. quibus in uerbis tuis erat manifesta cōtradictio,

cum modò diceres enthymema syllogismum esse, modò negares: quā cum ego modestissimè contradictionē annotassem, tu statim furore quodam percitus, me ter ineptissimum atq; ignorantissimum appellasti: perinde quasi maledicere, sit errata defendere. Deinde miro quodam supercilio insurgis, & arrepta censoria uirgula, me barbarum, te uerò doctum esse uirum clamitas. in quo uix risum continere poteram, cum in eo ipso loco, ubi te doctum esse uirum prædicas, multos pueriles errores committas. Sed istam defensionem tuam uideamus. Dixeram ego te multum errare, qui ita colligeres: Non est syllogismus, restat igitur ut sit enthymema. & perinde esse, ac si diceres: Non est animal, restat igitur ut sit homo: quoniam syllogismus est enthymematis genus, sicut animal hominis: & sublato genere, tolluntur etiam omnes species. ut, si non sit animal, neq; homo esse posit: ita si non sit syllogismus, neq; enthymema posit esse. At tu cum istum errorem tuum defendere uelis, ais syllogismum & generatim & speciatim accipi: generatim, pro omni syllogismo siue perfecto, siue imperfecto: speciatim uerò, pro syllogismo perfecto, & pro enthymemate: ita ut syllogismus in communi (ut ipse loqueris) sit genus, & contineat sub se duas species, syllogismum perfectum, & enthymema. Cum igitur ais, Non est syllogismus, ergo est enthymema: uis ut argumentationē tuam ita intelligamus, Non est syllogismus perfectus, ergo est enthymema. Ista est defensio tua, in qua tantopere tibi places, ut te ipsum doctum uirum appelles, & domestico pręconio famam aucuperis. Veruntamen in ista tam erudita & docta defensione, dico duos insignes esse errores, quos uide quomodo tua ista tam excellenti doctrina defendas. Primus est

est ille, quem in Apologia notaui. cum enim enthymema syllogismi species sit, ut Aristoteles fatetur, nec tu diffiteris: plusquam ineptum est dicere, Non est syllogismus, ergo est enthymema: quoniam idem est, ac si diceres, Non est animal, ergo est homo: Non est arbor, ergo est ficus: Non est uirtus, ergo est temperantia. quas argumentationes quis non intelligit, nõ tantum falsas, sed etiam pueriles esse? Neq; est quòd fugã illam quæras, syllogismum accipi speciatim pro syllogismo perfecto, & pro enthymemate: quoniam perfectus & imperfectus, cũ syllogismo adijciunt, sunt quędã syllogismorum differẽtię, ut rationale & irrationale animaliũ. sicut enim animal rationale est animalis species, ita syllogismus perfectus est species syllogismi: & sicut animal irrationale, ut bestia, est animalis species, ita syllogismus imperfectus, ut enthymema, est species syllogismi. Quę cum ita sint, nonne tamen omnium irrisione dignus esset, qui ità argumentaretur, Non est animal, ergo est bestia? & si quis eum reprehenderet, quòd malè esset argumentatus, ita se defenderet: Argumentatio mea sic debet intelligi, Non est animal rationale, ergo est bestia? Tu uerò mirificam defensionem excogitasse te putas: qui cum ità argumentatus esses, Non est syllogismus, ergo est enthymema: uis ut ita intelligamus, Non est syllogismus perfectus, ergo est enthymema. Cur non igitur commentarios edis in ista tam erudita scripta, ut etiam nos imperitiores aliquid ex tam præstanti doctrina percipiamus, & intelligamus id quod nunquam intellectum fuit, uel potius quod esse nullo modo potest, sublato genere tamen aliquam speciem remanere? Hic est primus & insignis error tuus. Alter uerò etiam longè maior, qui te omnis dialecticæ prorsus imperitum

y ostenـ

ostendit. Fingamus enim uerum esse id quod ais, te de syllogismo perfecto intellexisse, cum dixisti, Non est syllogismus, ergo est enthymema: nonne tamen erit & falsa & rudis argumentatio? fiet enim ista ratione tua, ut omnes imperfecti syllogismi sint enthymemata: quod omnino falsum esse, quis non intelligit? Perfecti enim syllogismi tantum in prima figura conformãtur, ut Aristoteles docet: reliqui uerò omnes quicunque uel in secunda, uel tertia figura fiunt, imperfecti uocantur, quorum est infinita multitudo: qui omnes, si tuum istud argumentum uerum esset, enthymemata uocarẽtur, quia non sunt perfecti syllogismi. Quòd si uis idem esse syllogismum imperfectum, & enthymema, cur non id aliqua ratione probare conatus es: cum omnes & græci & latini auctores aliter sentiant? nam fatentur quidem omne enthymema syllogismum imperfectum esse, sed non contrà omnem imperfectum syllogismum, enthymema esse concedent. ut si ita collegero, Nulla substantia est quantitas, omnis linea est quantitas, ergo nulla linea est substantia: hic quidem imperfectus est syllogismus, quia fit in secunda figura: sed enthymema esse nullo modo potest. Verùm ais syllogismum & enthymema inter se opponi: quod omnino falsum est. cum idem sit apud oratores enthymema, quod apud dialecticos syllogismus, ut multis in locis docet Aristoteles: & tantum forma argumentandi, non materia differant, ut suprà copiose docuimus. Quare nullus omnino syllogismus dialectico more formatus, enthymema dici potest. Itaq; uides quantum flagitij commiseris, qui putaris omnem imperfectum syllogismum enthymema esse. neq; est quod ad enthymematis definitionem cõfugias, quæ talis est: Enthymema est syllogismus imperfectus ex proba-

probabilibus & signis. neque enim ex hac definitione colligere poteris, omnem imperfectum syllogismum enthymema uocari: licet omne enthymema syllogismus sit imperfectus. hæc enim non uicissim retrò commeant. Quòd autem ex probabilibus & signis enthymema constare dicat Aristoteles, frequentiorem materiam tangit, in qua uersatur orator. licet enim de omni re proposita possit orator disserere, & enthymemata formare: tamen in causis forensibus probabilia ferè & signa peruestigat, & ex illis argumentatur. sed nonnunquam accidit, ut signa necessaria sint, quæ indicia à nostris dicuntur, ex quibus fiunt enthymemata necessaria. Quod tu cum in primo contra me uolumine tuo negasses, posteà ueris uictus à me rationibus, in Antapologia dixisti te non inficiari, ex necessarijs aliquando enthymemata fieri, sed non esse propriè enthymemata: quod quàm puerile sit, omnes intelligunt.

Non tantum absurdè, sed etiam perperam dictum à Nizolio, materiam enthymematum probabiliter concludere. Cap. VIIII.

DIxeras in primo uolumine tuo, imperfectionem enthymematũ non ad numerũ propositionum referri, sed ad materiã: nõ necessariò, sed probabiliter tantùm concludentem. quorum ego uerborum sentẽtiam postquam esse falsam apertissimè docuissem, locutionem etiam illam tuam notaui, qua uocas materiam probabiliter concludentem. Quid est enim, inquam, materia concludens probabiliter? quæ uerò potest horum uerborum esse sententia? nos quidem ex Aristotele didicimus, formam syllogisticã eam esse, cuius propriũ sit concludere, in quam inclusa (ut ita dicã) non concludit, sed cõcluditur potius materia. Tu uerò cũ nullo modo

 posses

posses hunc errorem tuum tam manifestum occultare, quò tandem confugisti sapientissime uetule? nempe ad solitam defensionem tuam, ad conuicia atque maledicta: quanquam ineptissimè dicis me ab Aristotele latinè loquendi proprietatem petere, quoniam ex Aristotelis sententia dixeram, formam syllogisticam esse, non materiam, cuius proprium sit concludere. Non ego illa uerba latina quæ posui, homo ridicule, didici ab Aristotele, sed eorum uerborum sententiam. Dico igitur, iterũque repeto, te penitus ignorare quid dicas, cum materiam enthymematum probabiliter concludentem appellas: quoniam nullo modo materia concludens dici potest. neque enim materiæ proprium est agere, sed potius pati: sicuti formæ non pati proprium est, sed agere. nam quicquid agit aliquid, id non propter materiã agit, sed propter formam. Vnde non tantum ab Aristotele, sed etiã à reliquis philosophis, forma dicit̃ ἐνέργεια, id est actus, ut nostri interpretantur: quoniam propter formam agunt omnia, non autem propter materiam: ut ignis in sublime fertur non propter materiam, sed propter leuitatem, quæ est illi forma naturalis: & terra deorsum ruit, propter insitam illi à natura grauitatẽ, non propter materiam. nam eadem est igni, atque terræ subiecta materia, quæ uarijs informata qualitatibus, etiam uarias rebus appellationes adfert: ut hæc terra dicatur, illa aqua, hic aer, ille ignis. quibus omnibus eandem esse subiectam materiam, declarat illud, quòd (ut ait Cicero) ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere æther: deinde retrorsum uicissim, ex æthere aer, inde aqua, ex aqua terra infima. sed hæc philosophis relinquamus. Illud potius uideamus, quid sit quòd tu tam inscienter materiam concludentẽ esse dixeris, & quomodo coneris istum errorem

defen-

defendere. Dicis enim, propriè neq; materiã neq; formã syllogisticã concludere, sed oratorẽ ipsum, aut quicũq; fuerit qui disputet, figuratè uerò materiã & formã dici concludentem: ut cum dicimus, farinam siligineam facere optimum panem, quamuis propriè ex farina panis fieri soleat. tu uerò Nizoli, more tuo rationes & similitudines ex fece hauris. Quis enim latinè diceret, farina facit panem? ubi hoc locutionis genus inuenisti? Rusticanum hoc quidem est, non latinum, aut urbanũ. Quòd autem ais oratorem propriè concludere, uerum quidẽ est, sed tu causas cõfundis. Nam & effectrix causa, & forma perficere rem dicuntur: sed illa, ut extrinsecus adueniens: hæc autem, ut insita & annexa rei, quam absoluit. ut architectus ex materia quidem domum conficit, sed nunquam perfecta domus appellabitur, priusquam illi materiæ forma superuenerit, quæ domũ concludat, & absoluat: ita orator excogitabit quidem propositiones, hoc est materiam conclusionis, & eas ita collocabit, ut quod uult, concludere possit: sed nunquam tamen concludet, nisi cum syllogistica forma superuenerit, ut uel inductio, uel syllogismus, uel enthymema fiat. Materia uerò, siue necessaria, siue probabilis fuerit, enthymemati subijcitur, ex qua formantur enunciata, quibus concluditur argumentũ. quo fit, ut materia nullo modo concludens, sed potius cõclusa dici possit. Est enim materia principium quidem rei, sed patibile, seu patiendi tantum uim habens, nunquam autem agendi. Forma uerò non patiendi, sed agendi uim habet uel maximã: quoniã rebus omnibus perfectionem atq; appellationẽ adfert. Quicquid enim est, id propter formã suum esse dicitur. amissa forma, statim res interit, etiã si materia superstit, Vt homo mortuus non est amplius ho

 mo,

mo, quoniam animam, hoc est formam amisit: ita syllogismus sublata forma, non amplius syllogismus uocabitur, etiam si remaneant eædem propositiones, sed inuersæ atque immutatæ. Quare perspicuum est, esse formam, quæ concludat, non autem materiam. Huc accedit Ciceronis auctoritas, qui in Academicis formam appellat uim efficientem, & effectionem: materiam autem, ex qua efficit, & quam fingit ac format effectio. ut iam uidere possis, quàm inscitè, quamque ineptè materiam concludentem appellaris.

Quas reprehendit Nizolius in Antiparadoxis nostris uoces, & locutiones, tanquam non latinas, rectè à nobis esse positas.

Caput X.

VEnio nunc ad eas uoces & locutiones, quas in scriptis meis tam cupidè reprehēdisti: credo quia clarè uidebas, in rebus ipsis nihil contra me posse te dicere. cum enim hostili animo diligenter omnia perscrutatus esses, ut si fieri posset, aliqua in re me reprehenderes: tandem cum rem nullā damnare posse te uerisimiliter intelligeres, in summa duas locutiūculas, & sex uocabula subnotasti, quę nō ita tibi quadrare uidebant̃, quamuis (ut ostendā) à me rectè omnia dicta fuerint. quod cum fecisses, tragicè uociferari cœpisti, me penitus barbarū esse, neque ullum uerborū delectū habere. Quanquam in eo ipso in quo me reprehendis, maximè ridiculum te ostendis. non enim semel, sed iterum ipse fateris, eas uoces & locutiones quas in meis scriptis uituperas, apud idoneos auctores reperiri, & nihilominus tamen in me reprehendendas esse. quod ne quis me putet fingere, uerba tua recitabo. sic enim ais: Quæ tamen non idcirco reprehendi, quòd non fortassis apud auctores aliquos idoneos, præsertim posteriores, reperiantur: sed

quòd

quòd indicant te prorsus carere iudicio, & nullum habere linguæ latinæ gustum. Et alibi sic ais: Quæ non damno, quòd eorum aliqua non reperiantur apud aliquos auctores latinos, præsertim posteriores, sed quia uideo te illis pafsim uti. Equidem cum hæc lego Nizoli, uix credere possum te mente consistere. nam omnino aliqua te intemperies agitat, qui hæc tam inconsideratè effutias. quis enim ea reprehendere solet, quæ apud idoneos auctores reperiuntur? cur, quæso te, reprehensione dignus ego sum, qui bonos auctores imiter: illi uerò laudādi, qui priores ijsdem uocibus usi sunt? Quis hîc risum continere pofsit, cùm tam stultum reprehensorem esse te uideat? Quid ais argute censor? damnandus ego sum, & omni iudicio careo, quia bonos & idoneos auctores sum imitatus? Prò summe Iuppiter, fieri'ne potest, ut aliquis usq; eò maleuolentia cæcus fiat, ut contra aliquem tam insulse garriat? quid hoc monstri est? ego iudicio careo, quia utor uocibus, ab idoneis auctoribus usurpatis: illi uerò boni auctores nō iudicio carent? quomodo in re simili potest existere tanta difsimilitudo? Non'ne cum hæc dicis, idem est, ac si apertè diceres: Ego quidē Maioragi, tibi maledicere uehementer concupisco, & incredibili cupiditate ardeo, tibi ut maledictionibus meis aliquam infamiam inuram: sed quid uerisimiliter contra te fingam, prorsus non reperio, & tamen maledicendi libido tacere me nullo modo patitur. Non'ne undique hoc apertifsimè clamitat longa illa atque insulsa commentatio tua? Sed uideamus q̃ acutè me reprehēderis: ac primò duas illas locutiones discutiamus. Ais enim non latinè dictū à me, Rationes adducere. quid ita quæso? nullam enim rationem adducis, quare nō & mihi & cuiuis alij liceat,

latinè dicere, Rationes adducere. Vis igitur ut sine ratione tibi credamus? At ais, Frequentius inuenitur, afferre rationes, quàm adducere. quid tum? erit'ne hoc ideò barbarum, quia frequentius illud est? Sed quid in hac locutione mea damnas? utrum uocabula ipsa, an constructionem uerborum? si uocabula, deliras insigniter, quia nemo nescit, Rationem, & Adducere, maximè latina esse uocabula: si constructionem, cupio scire, cur damnāda sit. uideo enim passim apud auctores hoc uerbum Adducere, quartum casum admittere. At dices fortasse, tantum ad res animatas hoc uerbum pertinere: ut, Adducere hominē aliquem in sententiā suam. Sed hoc omnino falsum est, quoniam etiam inanimatis conuenit: ut, Adducere rem in discrimen, quod apud Ciceronem frequentissimum est: Adducere sitim, apud Horatium: Adducere tædium, apud Plinium. quin ait in Academicis Cicero, Socratem auocauisse philosophiam à rebus occultis, & ad uitam communem adduxisse. Quid est ergo cur neges licere nobis dicere, rationes adducere ad probandum, cum Cicero dicat, adducere philosophiam ad uitam communem? Quid? quòd passim apud auctores benè latinos, & apud Ciceronē ipsum inuenitur, Ducere rationem, & Subducere rationem? Quid autem habes argumenti, cur liceat dicere, Duco rationem, Subduco rationem: sed, Adduco rationem, non liceat? qua ratione duceris, ut melius sit dicere, Rationes afferre, quàm Rationes adducere? Equidem si uerba spectes, eadem est uis in utroque: si metaphoram, etiam uenustior est in adducendo, quàm in afferendo. hoc enim à baiulis deductū uideri potest, illud autē meum ab imperatoribus, qui ad oppugnandos hostes exercitum adducūt. Itaque ratio ipsa poscit, ut longè melius

lius dicatur, Adducere rationes, quàm afferre. At, inquis, boni auctores, nõ dicũt Adducere rationes. imò uerò dicunt, & multis in locis legere memini, sed in præsentia non succurrunt exempla. neq; enim in re tam clara fui diligens; ut exempla colligerem, cum neminem præter te posse inueniri existimem, qui locutionẽ hanc tam latinam & uenustam damnare audeat. neq; sanè tu nisi tam cupidè me insectareris, & nihil aliud haberes quod in medium adducere posses: notasses id quod eleganter dictum omnes intelligunt. Illud uerò quod ais, nõ latinè dici, Puto quòd, Omitto quòd, Credo quòd, Cõmemoro quòd, Videtur quòd, & cætera id genus, quæ Latini per infinitum modum efferunt: plane etiam te parum diligentem fuisse ostendit. licet enim frequentius hoc dicendi genus per infinitum efferatur, tamen sæpe etiam eo modo usurpatũ à bonis auctoribus, quo ego sum usus, inuenies. Et ne longior fiam in aperta re, quoniã tu fateris apud posteriores auctores, & idoneos reperiri: dico etiam antiquam esse locutionem. nam ea Plautus frequenter utitur, ut in Asinaria: Equidem scio iam filius quòd amat meus istanc meretricem è proximo Philenium. quod non ita multo pòst repetit. Quid? quòd etiam Ciceronianam esse constat? Itaque locos ex Cicerone quatuor proferam, quibus tè calumniatorem esse improbum ostendam. Primus locus est in Oratione pro Plancio, ubi ita ait Cicero: Nam ut omittam illud, quod ego pro eo laborabam, qui ualebat ipse per sese. tolle quod, & infinitum substitue, hoc modo, Nam ut omittam illud, me pro eo laborasse: & uidebis prorsus idem esse. Secũdus locus est in oratione pro Cæcina, ubi ita inquit: Quem ego antea cõmemoraui, quòd idẽ faceret, quod tu nunc, uerte hoc modo, Quẽ

ego anteà cōmemoraui id facere, quod tu nūc: & idem erit. Tertius locus est in Salustium: Credo, quòd non omnes tui similes incolumes in hac urbe uixissent. Quartus est in libro secundo de Natura deorum, ubi ita scribit: Animum denique illum spirabilem si quis quærat unde habemus: apparet, quòd aliud à terra sumpsimus, aliud ab humore, aliud ab igni, aliud ab aere eo, quem spiritum dicimus. Vides igitur huius locutionis auctorem esse mihi Ciceronem. in qua tamen iudicium adhibendum esse censeo, ne frequentius, aut durius ea utamur, nisi cum in disputando uehementiorē uidetur orationem facere: quod ego in ijs locis, quos tu ineptè reprehendis, obseruaui. Sed uoces uideamus, quæ te tantopere extollunt, & arrogantem faciunt, ut putes ea sola de causa te superiorem futurum. Nihil enim de rebus es solicitus: nihil te mouet, quòd argumenta tua omnia subuerterim, quòd te omnis reconditioris doctrinæ imperitum ostenderim. hæc tanquā leuia prætermittis, & sex uoces à me usurpatas arripis, quas reprehendas: in quibus tamen summā præ te fers ignorantiam. Nam primò, ægritudinē pro morbo dicis nusquam apud bonos auctores inueniri: cum tamen & Terentius, & Plinius, & alij multi in ea significatione, qua ego posui, hoc est pro morbo, usurpent. Terentius enim in Phormione sic ait: Matrem ipsam ex ægritudine miseram mors cōsecuta est. ubi Donatus: Ex ægritudine, inquit, id est infirmitate ac morbo. Plinius libro octauo, de elephantis loquens, ita ait: Visi que sunt fessi ægritudine, quando & illas moles infestant morbi: Sentis ne mi uetule, quanto uerius possem illas ego tragœdias in te excitare, si liberet, quas tu procacissimè contra me concitasti: cum Intelligibiliora, quo tu uocabulo usus fueras, non

non eſſe latinum dixiſſem. Quid deinde? Reprehendis me, quòd dixerim: Sed libet aliquas huius Capitis clauſulas examinare: & ais, Clauſulam pro mẽbro nuſquam inueniri, perinde quaſi pro membro ibi ego uſurparim. An non intelligis inepte ſenex, me pro concluſione, non pro membro clauſulam eo in loco poſuiſſe? quoniam enim in eo Capite multa ſunt argumenta, uolo quaſdam eorum argumentorum concluſiones examinare, & uidere utrum conſectariæ ſint, nec ne. quãuis apud iuriſconſultos frequentiſsime pro membro clauſula ponatur: & Cicero quinta Actione in Verrem, clauſulam pro una edicti parte uſurpet. Sex. Pompeius ait clauſulam eſſe, quam Græci περίοδον uocant. Vnde ſatis intelligitur, non tantum pro membro, ſed etiam pro toto uerborum ambitu, qui una claudatur ſententia, clauſulam poni. Quare uides etiã in hac parte craſſam ignorantiam tuam. Nam quòd reprehendis, Operari pro laborare, & opus agere: non ſatis intelligo, quæ tua ratio ſit. nam ſi latinũ hoc uerbum eſſe negas, apertè mentiris, cũ & Virgilius, & Plinius, & Columella, & plurimi alij utantur: ſi uerò aliud ſignificare dicis, non me, ſed Plinium reprehendis, qui in hac ſignificatione cùm alibi, tum Libro undecimo, Capite decimo utitur, ubi de apibus loquitur. Sic enim ait: Adoleſcentiores ad opera exeunt, & ſupradicta conuehunt: ſeniores intus operãtur. Quid enim eſt aliud operari, quàm opus ſuum agere? Propertius Libro ſecũdo, de Luna uerba faciẽs, ait: Cynhia iam noctes eſt operata decem. hoc eſt, perfecit, & abſoluit. Cicero ad Atticum libro ſexto: Huius nebulonis operatione ſi Brutus moueri poteſt, licebit eum ſolus ames. Quòd autem ſingulari numero Metaphyſica dixerim, non id ego auctoritate mea feci:

ſed doctiſsimos ſcriptores, qui libros Ariſtotelis, & aliorum Græcorum in latinum ſermonem cõuerterunt, ſecutus ſum. Hermolaus enim ille, tantus uir, in conuerſione Themiſtij, non ſemel Metaphyſicam ſingulari numero uſurpat: neq; tamen id ſine ratione facit. nam eorum plurima quæ græcè numero multitudinis efferuntur, latinè plerunq; ſingulariter appellãtur: ut Ethicam, Oecononicam, Politiã dicimus. atq; hoc exemplo Ciceronis facimus, qui cum apud Platonem πολιτειῶν in plurali legiſſet, tamen primo de Diuinatione dixit, Vide quid Socrates in Platonis Politia loquatur. Hactenus uides defenſionem meam rectè adhibitam eſſe. nam ex illis octo quę contra me notaueras, ſex ita defendi, ut & purè & latinè dicta oſtenderim. Duo tantum ſuperſunt uocabula, quæ (ut ingenuè fatear) neq; mihi ſatis placent: Nocumentum, & Parricidioſe. Sed tamen altero frequentiſsimè uſi ſunt recentiores, inter quos etiam Laurentius Valla, & Alciatus noſter, & eruditiſsimus uir Eraſmus, qui de re literaria bene meritus eſt: nã hi frequenter nocumentum dixerunt. Alterum in Theſauro ſuo linguæ latinæ poſuit Robertus Stephanus: ut intelligas harum duarum uocum, quæ mihi rebus intento exciderunt, me tamen auctorem non fuiſſe, ſed ab eruditis uiris eas accepiſſe. Verùm concedamus, hęc duo uocabula non fuiſſe ab antiquis latinis uſurpata: quid tum? nonne tamẽ maiorem in modum mihi lætandum eſt, quòd tu homo tam maledicus, & mihi tam acer inimicus, ex omnibus ſcriptis meis, quæ tantum ea de cauſa legiſti ut reprehenderes, nihil tandẽ aliúd, niſi duo uocabula annotare potueris? Non'ne poſſem ita tibi reſpõdere, ut olim Aeſchini Demoſthenes? qui cum Aeſchines in eius oratione quædam uocabula, tanquam dura

& into

& intolerabilia, exagitasset, se purgans iocatur: negat enim in eo positas esse fortunas Greciæ, hoc an illud ipse dixerit. Sic ego, non in hoc positum esse discrimẽ eloquentiæ dico, si unum aut alterum uerbum innouetur: modò solœcismi fœditas absit. Confer nunc defensionem tuam cum hac mea, ut quanta sit inter eas differentia perspicias. cum enim ego falsa esse omnia argumenta tua docuissem, tu ne unum quidẽ defendere potuisti: & quæ in locutione tua notaram, partim frigidè defendisti: partim, quia primum contra me uolumẽ tuum non est typis impressum, ore durissimo pernegasti: quæ fuga tibi nunc præcisa est, quoniam in manibus est Antapologia tua. Ego uerò ne unum quidem argumentum à te meum uerè impugnatum fuisse, demonstraui, nihilq; penitus non à me rectè positum. uoces autem & locutiones, quas tanquam nõ latinas adnotaras, eas ostendi non sine maximorum hominum auctoritate à me fuisse usurpatas.

Nizolium non tantum non latinè, sed ne grammaticè quidem loquendi rationem nosse, & penitus barbarum esse scriptorem.

Caput XI.

QVòd si te recriminari liberet, longè profectò copiosiorem mihi reprehendendi materiã locutio tua suppeditaret in una illa Antapologia tua contra me, quàm tu in omnibus meis scriptis excogitare potueris. Sed hoc decreui modicè facere, aut etiã intra modum. satis enim mihi est, ita res & rationes omnes tuas euertisse, ut nunquam amplius eas erigere queas. Veruntamẽ breuiter dico, te nõ modò priores errores non defendisse, sed multos etiam alios adiunxisse. Nam ut prætermittam eam ineptam locutionem, in qua omnino uelis nolis error est, cum ita ais: Socrates non conuenien-

tia sibi ipsis, sed plurimum dissidentia inter se loquebatur (esset enim ad eorum quæ tu citasti, exemplorum imitationem, dicēdum, Socrates non conuenientia sibi ipsi loquebatur, nō, sibi ipsis, ut tu dixisti. ille enim dicitur sibi ipse, uel sibi ipsi non conuenire, qui pugnantia loquitur: quod Socratem tu fecisse uis, quamuis falso. sic in Bruto Cicero: Cum autem difficile sit, in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse non conueniat) ut taceam uocabulum illud Intelligibiliora, quod licet à Seneca te sumpsisse excuses, nunquam tamen efficies, ut latinum sit: ut omittam Irreprehensibilem, quod cum insciè dixisses, analogiæ ratione conaris defendere. quo in loco maximè ridiculus es. ais enim tibi in tuis uerbis analogia uti licere, mihi in meis non licere: perinde, quasi tibi aliquid in literis concedi oporteat, quod alijs non concedatur. ut nihil dicam de illa uenusta locutione tua, in qua ita dixisti: De inferendis enthymematibus, quos Latini, non ut logici, imperfectos syllogismos, sed expolitiones uocant. ubi duo sunt errores apertissimi, primus est solœcismus in genere, quia quos refertur uel ad enthymemata, uel ad expolitiones: alter est error falsitatis, quia negas à Latinis enthymemata uocari syllogismos imperfectos, cum apud Quintilianū non uno in loco ita appellentur. Vt hæc, inquam, & alia eius generis multa prætermittam: uolo mihi dicas, qua ratione, aut quo auctore dixeris in ablatiuo plurali, Iureiurandis. Sic enim ais in Antapologia tua: Si quis mihi antea omnib. iureiurandis adhibitis confirmasset. Quid est quod ais, omnibus iureiurandis? quis unquā ita locutus est? aut quæ potest istius uerbi tui esse ratio? Sed uideo quid agas Nizoli, uis in lucem nouas exornationes rhetoricas

eas edere, aut aliqua dicendi præcepta, in quibus doceas solœcismum esse uirtutem, atque adeò maiorem, quotiescunque geminatus fuerit. Equidem admirabar aliàs Tincam Placentinum, quem aiunt duos in uno nomine barbarismos facere solitum. quanto nostro tempore tu Nizoli, admirabilior es, & magis suspiciendus, qui duos insignes in uno nomine solœcismos facias? Digna certè res, quæ sacrosanctis literarũ monumentis, ad sempiternam tanti ingenij atque acuminis memoriam per eruditos homines demandetur: ut aliquando posteri audiant, extitisse apud maiores suos insignem quendam uirum, Nizoliũ nomine, qui cum annos amplius quinquaginta uersatus in literis fuisset, tam eruditus tandem euaserit, ut in uno uerbo duos solœcismos committeret. O doctrinam admirabilem, atq; omni laude, prædicatione, literis, monumẽtisq; decorandã. Marius Nizolius Brixellensis, censor grauissimus, & optimarũ artiũ professor, cũ toto uitæ suę tempore uersatus esset in literarum studijs, usq; adeò profecit, ut quod antiqui scriptores nunquã intelligere potuerũt, quod nulla prę-ceptorũ ratio patit̃, quod imperiti literatores in puero flagris plurimis dignũ existimarent, id ipse usurparit, & tanq; pigmẽtum quoddam uenustissimum è myrothecio depromptum operi suo publico illeuerit. Sed quæso te Nizoli, ne graueris nobis etiã rationem istius uerbi tui declarare. sumus enim (ut tu ais) ingenio tardiusculi: non assequimur istam tantam intelligentiam tuam. putamus hìc duos esse solœcismos: primò, quia nusquam iusiurandum in numero multitudinis usurpatum inuenimus: deinde quia ratio posceret, si in plurali reperiretur, ut iuribusiurandis diceremus, non autem iureiurandis, cupio ut hunc scrupulum mihi eximas:

nec

nec dubito quin etiã alij multi sint, qui reconditam istam eruditionẽ tuam admirentur, & cupiant istius noui uocabuli rationem audire. Quid cessas igitur grammaticas institutiones in lucem edere, ut omnes sciamus, qua ratione posimus aliquid, omnibus iureiurandis adhibitis affirmare? Sed heus tu barbate censor, agnosce tandem eo te uitio laborare, quo me præter omnem rationem notare conatus es: ut uerborum nullum delectum habeas, nullum literarum iudicium, nullum latinæ linguæ gustum. Imò uero neq; puerilia grammaticorũ rudimenta percepisse te ostendis. Quis enim puer nescit, iusiurandum plurali carere numero? quis nõ intelligit, etiam si uerbum hoc pluraliter efferatur, non tamen posse dici Iureiurandis, sed dicendum esse iuribus iurandis? sicuti non Republicis, sed Rebuspublicis dicimus? Quid igitur opus est, ut de locutione tua iudicium faciam, quæ tota hiulca, aspera, affectata, odiosa, eneruata, languida, abiecta, & planè, quod prouerbio dicitur, tota ulcus est, & arena sine calce, quiduis potius redolens, quàm ætatem illam felicem Ciceronis: quod non dubito quin literati omnes aduertant. Quid, inquam, opus est, ut maiora inuestigem, cum tam crassos in Grammaticę rudimentis errores admittas? An reprehẽdam id quod facere uerisimè possem, dissolutos numeros, confragosam uerborum compositionem, contemptam sententiarum ieiunitatem, sordidam orationis affluentiam: cum soloecismos notare posim? Nam in primo statim Antapologiæ tuæ uersu, contra receptam à Latinis loquendi rationem, dixisti: Admonebã te de ijs, quæ mihi errasse uidebaris. quem errorẽ in sequentibus bis aut ter repetiuisti. neq; enim Latini dicunt, Erro hanc rem; sed, in hac re: cum Erro sit absolu-

tum

tum uerbum. ut secunda Philippica Cicero: In eo nõ tu quidem tota re, sed quod maximum est, temporibus errasti. & quarto de Finibus: Si aut res ignoratur, aut erratur in nomine. Nam quàm absurdum sit, si quis diceret, Erratur nomen, pro eo quod est, Erratur in nomine? tu uerò putas egregiè te dixisse, Quæ errasse uidebaris, pro, in quibus. neq; est quòd fugam quæras, quia Terentius dixerit, Teneo quid erret: quia, Quid, apud latinos scriptores tanquam aduerbium, pro qua in re ponitur, uel qua de causa: ut, Quid furis? Quid stas? Quid indiges mei? & similia, quæ passim occurrunt. Cicero pro Plãcio: Huius illa uox uulgaris auditu, ne quid reo innocenti noceat, oramus: pro, ne qua in re. Quòd autem tam plurima nequaquam apud antiquos usitata uocabula, passim usurpas, ut Maledicentiam pro maledictione, Vituperium pro uitup eratione, Ruditer pro imperitè, & sexcenta id genus, ignosco tibi: quia perspicuè te ostendis, aut latinæ linguæ candorem penitus negligere, aut, quod uerius esse credo, nunquam latinè didicisse: neq; Obseruationum earum, quas sub tuo nomine edidisti, auctorē fuisse. Nam illa quæ sine causa finxisti plurima, ut, Logicaster, Legitimitas, Theologissari, Mentitio, Nugaciter, multaq; alia quę longum esset enumerare, merã barbariem redolentia, quibus tanquam gemmis totam orationē tuam exornas: apertissimè declarant id, quod iniquissimè de me iudicium fecisti, uerissimè de te fieri debere, qui penitus ignores, quid sit purè & latinè scribere.

Iudicium Nizolij de latinis scriptoribus penitus esse falsum, & minimè sequendum. Caput XII.

SEd uideamus mirificum de idoneis latinæ locutionis auctoribus iudicium tuum: ut omnes tandem ad

uertant, quàm imperitè garrias, & quem delectum elegantium scriptorum habeas. Quid ais Nizoli? qui sunt aput te latini & idonei auctores? qui sunt illi, quos imitari debemus? Omnes, ais, non solum qui ante Ciceronem, sed etiam qui post eum aliquid latinè scripserunt, usq; ad postremam ætatem iurisconsultorum. Audio. & amplos quidem latinæ linguę terminos facis: in quibus spaciari parumper libet, ut acutum tuum iudicium uideamus. Peto igitur à te quæ fuerit ætas postrema iurisconsultorum, quousq; tu latinæ linguæ fines protendis. An non, qua Iustinianus imperauit? nam eo tempore clarissimi iurisconsulti permulti fuerunt, ut Theophilus, Dioscurus, Præsentinus, Tribonianus, qui & multa scripserũt, & ueteres leges in Pandectas congesserunt. Sed quo tempore Iustinianus Imperator regnare cœpit? non'ne quingentesimo uigesimo quinto nostræ salutis anno? certè ita, nisi nos annales decipiunt. Sed ante Ciceronem, quem habemus scriptorem antiquissimũ? Equidẽ credo Catonẽ, & Plautũ, qui tempore Scipionis Africani floruit, annis ante CHRISTVM plus minus ducentis. ergo à Catone, & Plauto, ad Iustinianum Imperatorem septingenti atq; amplius anni numerantur: quo toto tempore tu linguam latinam floruisse dicis, & omnes qui septingentis illis annis aliquid latinè scribere sunt aggressi, bonos atq; idoneos latinitatis auctores existimas, atq; à nobis sine discrimine imitãdos, neq; ulla eorum uocabula refugienda: quorum tamen è numero excipis Institutiones, Codicẽ, & Authẽtica. Annon ita est? ita prorsus ais. At ego dico te uel historiarum penitus ignarum esse, ut nescias quo quisq; tempore eorum, quorum opera legimus, fuerit, aut scripserit: uel omni penitus iudicio carere, qui nobis eos imi-

tandos

tandos proponas, quorum opera multa ne digna quidem sunt ut iterum legantur. nullum enim barbariæ genus eis temporibus, quibus tu censes omnia latinè pureq; scripta fuisse, defuit. Nam ut omittam Catonem & Plautum, in quibus plurima sunt omnino repudianda uocabula, ut Ciceronis ætatē, & paulo inferiorem non attingam, in qua multi fuerunt non satis idonei scriptores: uelim mihi dicas an omnia Senecæ uocabula, locutionesq; sint usurpandæ, qui Neronis tempore fuit, & longæ ætatis beneficio superiorem illam ætatem Cæsaris Augusti omnem uiderat. Quod si totum hunc admittis, cuius dictionem non solum nostræ tempestatis doctissimi uiri, sed etiam Quintilianus ipse uituperat: si admittis quæcūq; Val. Maximus, Suetonius, Plinius uterq;, Statius, Iuuenalis, multiq; alij dixere: poteris'ne A. Gellium totum probare, qui Adriani tempore fuit, quadringētis ferè ante Iustinianum annis? agè probetur etiam Gellius. quid Macrobio facies, qui non ita multo pòst fuisse scribitur: hunccine totum latinum esse censebis, quem intelligunt omnes à linguæ latinæ puritate multum degenerasse? Verùm propter eruditionem, Macrobium recipiamus. quid Cypriano? quid Sidonio Apollinari? quid Spartiano? quid Lampridio? quid Iulio Capitolino facies? eos'ne idoneos latini sermonis auctores habebis? Quòd si etiam isti apud te latini sunt, poteris'ne tantopere os perfricare, ut Apuleium Madaurensem inter bonos latinæ locutionis atq; idoneos auctores recipiendum existimes? atqui fuit Apuleius Adriani tempore, annis ante Iustinianum ferè quadringentis, post quam ætatem maior pars iurisconsultorum floruit. quod satis ex Macrobij dictis intelligi potest, qui miratur Apuleium fabulis lusisse. Prò Dij immor-

Scoti uerbis usus fuissem: num idcirco putares à te defensum Ciceronem, si probasses meam nõ esse latinam locutionem? Crede mihi, totam defensionis rationem ignoras: si non res ipsas, sed tantum uerba spectanda esse existimes. Hoc tu genus argumentationis à fictione (sicut appellat Quintilianus) quo frequentissimè Cicero utitur, cum non intelligas: putasti me in ea esse sententia, ut credam licere nobis in scribẽdo diui Thomæ, & Scoti uerbis uti, atque ideo exclamas, me ignorare quid sit bene latinè loqui: quò quid imperitius dici potest? Non hoc ego dico fatue, nobis esse usurpandum uel Thomæ, uel Scoti dicendi genus: sed fingo Thomã ipsum, uel Scotum contra Ciceronem disputare, & eius rationes euertere: uel aliquem Thomæ & Scoti sectatorem, idem hoc facere. Quid igitur tunc ageres Nizoli, si Ciceronis causa tibi esset suscipienda? an illam statim exceptionem opponeres: Non possunt hi Ciceronis rationes impugnare, quia bene latinè non loquuntur? quàm esses patronus ridiculus, si hoc faceres? Quòd si relictis rebus ad uerba te conuerteres, & singula notans uocabula diceres: Hoc latinum nõ est, illud barbarum: hoc improprium, illud durum: atque hoc modo defensum à te Ciceronem existimares: quanto etiam magis esses ridiculus? At nunc (si dijs placet) etiam doctos uiros contra diuum Thomã & Scotum argumentari doces. uis enim ut contra omnes eorũ syllogismos ita colligant: Isti quæ ad prima literarum rudimenta pertinẽt, ignorant: quomodo igitur credibile est, eos percallere difficiliora? Præclarum uerò & acutum argumentum, & certè plusquam Chrysippeum: quo efficitur, ut quicunque barbarè scripserunt, ij nihil unquam omnino dicerint. Non te, quæso, iam pudet istarum tam ingen-

tium ineptiarum? Quis nescit, innumerabiles ferè fuisse doctissimos in omni scientiarum genere uiros, & esse etiam hoc nostro tempore, qui latinæ linguæ cognitionem uel nullam, uel certè perquam exiguam habent? qui modò res intelligant, nihil de uerbis soliciti sunt. ut Socrates præcipere solebat: qui non uerba, quæ tantum rerum notæ sunt, sed res ipsas uerbis significatas, spectandas esse censent. Damnabis igitur ignorantiæ tot philosophos, tot theologos, tot dialecticos, tot mathematicos, tot iureconsultos, tam multos alios scriptores, quia latinè non didicerunt? Dices non esse credibile, quòd hi tales homines difficiliora percalluerint, cum latinè loquendi rationem ignorarent? Quis in hac re non te planè ineptire intelligit? quis est enim qui nesciat, posse aliquem esse doctissimum, qui tamen latinè non bene didicerit? quis contrà nõ uidet posse aliquem latinè scire, qui doctrinæ reconditioris imperitus sit? sunt enim hæc distincta inter se, raroq; coniunguntur. Nã qui se rerum cognitioni tradunt, illi plerunq; fiunt in scribendo impoliti & barbari: qui autem stylũ exornare contendunt, maiori ex parte rerum inopes euadunt. perrara sunt eorum ingenia, qui rerum cognitionem cum dicendi elegantia coniungere posint: & tamen ex eorum numero nostra tempestate, cùm in Germania atq; Gallia, tum in Italia permulti reperiuntur: ut Romæ Flãminius, Iouius, Romulus: Venetijs, Egnatius, Felicianus, Paulus Manutius: Patauij, Lazarus, Bassianus: Florentiæ, Petrus Victorius: Bononiæ, Bocchius, Corradus: Ferariæ, Riccius meus: Mediolani, Octauianus Ferrarius, & Annibal Cruceius: Ticini, Andreas Camutius. quem audio, ut commodius studijs suis operã dare posit, Luganũ in patriam suam concedere statuisse,

atq; ibi procul à gymnasiorum contentionibus, in quibus multos iam annos summo cum honore uersatus est, quietè tranquilleq; uiuere decreuisse. & in alijs ciuitatibus alij, qui magna cum laude rerum scientiam eloquentiæ copularunt. Tu uerò Nizoli, quod satis ex scriptis tuis apparet, neutrum assequi potuisti. nam rerum te prorsus ignarum esse; satis (ut arbitror) in his Reprehensionibus meis declaratum est. ipsa autem locutio tua, te non tantum impolitum, sed etiam barbarum esse clamitat: nec mirum, cum non solum Boethios, Apuleios, Martianos Capellas, inter politos scriptores habeas, sed apertos etiam solœcismos committas.

Ridiculè Nizolium fecisse, qui suarum Obseruationum errata prius defendere conatus est, quàm sciat quid in eis ego reprehensurus sim. Caput XIIII.

QVàm uerò diligenter, quamq; acutè iam ea defendisti, quæ sum ego reprehensurus in Obseruationibus tuis? Papè, quàm longè in posterum mens ista tua Nizoli, prouidet. atqui ego nesciebam quenquã existere mortalium tam sagacẽ, tamq; lynceis oculis pręditũ, qui posset ea multo antè cõspicari atq; prospicere, quæ cõtra se aliquis dicere cogitasset. At tu naturam scilicet excedis humanam. Fortasse te dæmon aliquis in Padi ripis apud Brixellam genuit, dum hospitalis mater tua peregrinos atq; aduenas humanissimè colligeret. itaq; nouus natus es in orbe Tiresias. qui licet in ijs quæ sunt ante oculos, uel ipso Tiresia cæcior sis, & nihil omnino quod pręsens sit, uideas: afflatu tamen quodam (ut ita dicam) prophetico, præuides ea quæ contra te sum ego breui tempore scripturus, eá que iam omnia summo cum acumine & ingenio defendisti. Quin ut firmior ac uehementior sit defensio tua, plurimis in eo

loco me conuicijs & maledictionibus insectaris: ubi ea te defendere dicis, quæ non modò nusquam ego reprehendi, sed ne reprehendere quidem cogitaui. quo quid leuius, aut potius furiosius dici potest? Tu defendas, quę neq; ego impugno, neque impugnare cogito, & in me quæcunq; potes maledicta congeras? potes'ne magis improbitatē tuam, & maledicendi libidinē ostentare? Sed audi fatue, stultitiam tuam. Ego quidē in eis Obseruationib. quas Longolio surripuisti, & interpretatiūculis tuis auctas, sub tuo nomine edidisti, multa errata notaui: sed ea dico te nullo modo posse defendere, nisi prius ea quę sint, & quibus ego rationibus reprehendo audiueris. & tunc etiam (ut opinor) multum tibi sudandum erit, & fortasse te uehementer, quam serò, pœnitebit, quòd me tua sponte tantis iniurijs prouocaris. Verùm ea separatim in alio opere tractare constitui: quod tres in partes distribuam. Primùm enim ostendam, te neq; artem, neq; ingenium in ordine Obseruationum illarū adhibuisse: deinde rationem ac uiam aperiam, qua posset illud opus ita disponi & locupletari, ut lōgè utilius & facilius latinæ linguę studiosis euaderet: postrēò, plurimos errores tuos in illis à te adiunctis interpretationibus, annotabo. neq; hoc alia de causa faciā, quamuis tu me hostiliter insecteris, nisi ut ne parum cauti iuuenes, tecum in eosdem errores trahantur. Atq; ut iam gustum aliquem eius tertiæ partis, in qua sum errata tua notaturus, percipias: tres aut quatuor locos à te perperam interpretatos, huic inseram Capiti: reliquos, qui multo plurimi sunt, operi maiori reseruabo. Capiamus igitur uocabulum uulgatissimum, hoc est Virtutem: & uideamus quam ingeniosè, quamq; latinè illud uaries, (ut tu ais) & permutes. uis enim ea quę tu adiungis, nō

tam

tam esse interpretationes, quàm uariationes uocabulorum, & permutationes: sed peruersiones melius appellasses. Ponis ergo hoc uerbum Virtus: deinde statim adiungis, Rectus actus. dico hanc uariationem esse pessimam, quæ iuuenes in errorem adducat. primò, quia uirtus non est rectus actus, sed recta animi affectio, uel habitus unde rectæ actiones, uel recti actus proficiscuntur. neq; enim recti actus sunt ipsæ uirtutes, sed effecta uirtutum, ut omnes intelligunt. Itaq; non minus peccas, cum dicis uirtutem esse rectum actum, quàm si diceres, architectum esse ipsam domum, aut sutorem esse calceum. plurimum enim differunt efficientes causæ ab ipsis effectis, quamuis uel laus, uel uituperatio ab effectis dependeat: ut laudatur architectus, quia pulchram domum extruxit: uituperatur sutor, quia calceos non habiles pedi consuerit. atq; hoc est quod ait Cicero: Virtutis laus in actione consistit. Deinde, quia loco uirtutis nemo rectum actum ponere congruenter poterit. Atq; adeò hoc erratum tuum ea de causa primò notaui, quia non ita pridem quidã adolescens mihi epistolam, quam emendarem, obtulit: in qua posuerat huiusmodi locutionem, Est homo recto actu præditus. petiui ab eo quid illud significaret, quoniam re uera non intelligebã. ille statim ait, Idem est, ac si dixissem, Homo uirtute præditus. nam idem est apud Ciceronẽ, Virtus, & rectus actus. Vnde hoc habes? inquam ego. Ex Obseruationib. inquit, Nizolij, quas omnes accepit à Cicerone. Hæc cum ego audiuissem, & posteà diligentius interpretationes illas tuas considerassem, non tantum eum adolescentem, sed etiam alios qui me publicè priuatimq; audiunt, admonui, ne tibi fidem adhiberent, qui quiduis potius, quàm Ciceroniano more loqui doceas.

Sed tamen non ita multo pòst alius adoleſcens, cũ me uenientem uidiſſet, aſtanti ſocio dixit, Emerge caput. quod cum ego audiuiſſem, Quid hoc, inquam, locutionis eſt? tum ille, Non'ne idẽ eſt Emergo, quod aperio? minimè, inquam. Atqui, inquit, hoc ex Nizolij Obſeruationibus didici. Alius etiã, cum apud me declamans, reum defenderet, huiuſmodi locutione uſus eſt: Ad omnia quæ contra nos dixit accuſator, Iudices, ſumma cum cerimonia reſpõdebo. quam ego locutionem cum iucundè ridere cœpiſſem, & aſtantes exibilarẽt, dixit ille, Quid? an non idem eſt, ſumma cum cerimonia, quod diligenter? tunc etiam magis riſi, petiuiq́; unde illud haberet? at ille ſtatim protulit Obſeruationes tuas, ubi in dictione Diligenter, adiunxiſti, Summa cum cerimonia. Alius dicebat, Volo cauponari Ciceronis Orationes: quem cum reprehenderem, Non'ne idem eſt, inquit, Cauponari, quod emere, quemadmodum cenſet Nizolius? Hi ſunt fructus, quos ex Obſeruationibus tuis iuuenes percipiunt, ut loqui barbariſsimè diſcant. quomodo enim defendere poteris, idem eſſe Cauponor, quod Emo? cum Cauponari ſignificet, cauponum more uendere, nõ autem emere: & tantum ſemel, quod ſciam apud Ciceronem reperiatur, ex Ennio citatum? Itaq; iam noſtros adoleſcentes omnes hortatus ſum, ut uel Obſeruationes tuas penitus reijciant, quia lõgè melius & purius latinas locutiones ex Riccio, & Doleto, quàm ex te poſſunt haurire: uel ſi habere uelint, nunquã ineptas illas interpretationes tuas reſpiciant, ſed locos tantum à Cicerone citatos conſiderent. Verùm (ut dixi) quatuor hæc errata tua tantum exempli gratia poſui: cũ iã ſexcenta, atq; amplius, in Obſeruationibus tuis eius generis annotarim, quę ſcilicet tu iã præclarè te defendiſ-

fendiſſe arbitraris, quia me ſycophantã appellaſti, & religioſe Deos rogaſti, ut me perdãt. Omnes enim Antopologiæ tuæ partes egregiã illam clauſulã habent, ut te ſatis ſuperq; defeſſum exiſtimes, ſi quàm plurima in me cõuicia uomueris: in quibus, quemadmodum ſolet in atramento ſuo ſæpia, deliteſcas.

Platonem nuſquã à Cicerone uituperari: meq; non ſine auctore dixiſſe Trinitatẽ, quam uocant theologi, in Platonis Dialogis inueniri. Caput XV.

NAm quòd ubiq; Platonẽ indigniſsimè laceras, & improbas, haud meas eſſe partes exiſtimo tibi reſpõdere: cum omnes ferè & græci & latini ſcriptores te ineptiſsimum eſſe rabulã apertè clamitent, quorũ teſtimonia de Platonis excellentia doctiſsimus uir Beſſarion Primo libro contra Platonis calumniatorem, Trapezuntium, commemorat. Quod autẽ ais, à Cicerone non ſemper Platonẽ laudari, quia Primo de oratore M. Antonius dixerit, à Platone fictam nouam quandam ciuitatem, quæ à uitæ conſuetudine, & ciuitatum moribus abhorreret: inſignem omnino præ te fers impudẽtiam, uel ignorantiam: impudentiam primò, ſi rem intelligis, & tamẽ contra ueritatem nugari audes: ignorantiã deinde, ſi qua de cauſa Platonis ciuitatem improbet Antonius, non intelligis. An non aduertis, nihil aliud ibi M. Antonium ſibi propoſuiſſe, niſi ut Craſsi ſententiam improbaret? qui Philoſophiæ, & iuris ciuilis, cęterarũmque ſcientiarum cognitionem oratori neceſſariam eſſe dixerat. itaq; non tantum Platonis ciuitatem commenticiam appellat, ſed etiam ſecundo de Oratore, ſcientiam iuris ciuilis oſcitantem & dormitantẽ ſapientiam uocat. Non eſt igitur ea Ciceronis ſententia, quã ex primo de Oratore citaſti: ſed ipſius M Antonij, uel potius neque

Antonij: cum secundo de Oratore fateatur ipse Antonius, se non ex animo, neq; seriò cõtra Crassum disputasse, sed ut eum tantũ refelleret. nam si uerũ esset, quod tu ais, modò laudari, modò uituperari Platonẽ à Cicerone: quàm incõstans esset ipse Cicero? quàm leuis? quàm improbus, qui ex eodẽ ore (quod aiunt) calidũ & frigidum efflaret? Ergo Cicero, qui alibi Platonem philosophorum deum, alibi Homerũ philosophorũ, alibi principem omniũ qui unquam aliquid scripserunt, alibi ingenij laude longo interuallo cæteris omnibus antecellentem, alibi diuinũ, alibi multo etiã Aristotele superiorem appellat: eum, inquã, quem & ubiq; & semper admiratur, quem suspicit, quem in cœlum effert, in primo de Oratore tantopere uituperat, quemadmodũ tu fingis, ut nihil turpius de scriptore, eodemq; Philosopho dici posit? Nam quod ais, Platonẽ propter quædã uitia, quæ tu impudentissimè nominas, cũ honestè nominari non possint, mihi placere: procacissimã petulantiã tuã agnosco, qui in eis rebus mihi maledicas, à quibus omnes quibus egò notus sum, me longè magis abesse intelligunt, quàm tu à modestia & bene dicendi ratione semper abfuisti: quæ quidem uitia nequaquã in Platone fuisse, doctissimus uir Bessariõ uerè copioseq; defendit. At uerò de tribus diuinis personis, Patre, filio, & sancto spiritu, quas in Platonis Dialogis me obseruasse scripseram, quòd me tam petulanter irrides, non est mirum: cum ab harũ rerũ cognitione penitus abhorreas, & usq; eò terrenis rebus inhies, ut ad hæc cœlestia & diuina ne suspicere quidẽ posis: nõ aliter atq; illi, qui diutius in tenebris uersati sunt, solis lucẽ aspicere nequeũt. Atqui nõ hæc irridebat uir ingeniosissimus ac propè diuinus, IOAN. PICVS Mirandulanus, quẽ ego auctorẽ liben-

libētiſsime ſecutus ſum. is enim non uno in loco docet, Platonē eam in Deo perſonarū diſtinctionē agnouiſſe, quam nos Trinitatē appellamus: quod lōgè copioſius perſequitur in libris de Perenni philoſophia, doctiſs. EVGVBINVS: qui non tantū Platonē, ſed etiā ferè Platonicos omnes Trinitatē agnouiſſe demonſtrat. Dices igitur, hos tales homines iſta tua tam peſtilenti barbaraꝗ; lingua ridicule atꝗ; inſulſe theologiſſari? Aude contra Ioan. Picum os iſtud fœtidum tuum aperire, quem tam admirabili ingenio fuiſſe conſtat, ut non in terris natus, ſed à Deo fictus eſſe uideretur. aude tot & tanta Platonicorū teſtimonia refellere, quę Eugubinus in mediū adducit: & tunc te uirum ſcilicet eximiū appellabimus.

Non potuiſſe Nizolium de ingenio & doctrina mea rectè iudicare, cum ipſe recto iudicio careat. Caput XVI.

DE iudicio uerò iſto q̃d de me feciſti, nihil penitus laboro. neꝗ; enim eſt quod quiſquā hac in re tibi fidem adhibeat: cum in alijs rebus iam apertè demonſtrarim, quantis in erroribus uerſeris. Itaꝗ; nullo modo fieri poteſt, ut de ſcriptis alienis bene iudices, cū in tuis omni penitus iudicio careas. nam (ut Ethicorum primo docet Ariſtoteles) quæ quiſꝗ; nouit, de ijs uerè iudicat, eorumꝗ; æquus eſt æſtimator. Tu uerò Nizoli, qua in re uales? an in grammaticis? in quibus tam pueriliter peccas, ut in frequētes ſolœciſmos incidas. An in oratoria facultate? certè, ſi maledicere eſſet orare: de reliquo nihil eſt in te, quod oratorium dici poſſit. An in Dialectica, quam penitus irrides, contemnis, ac pro nihilo putas? An in Philoſophia, quam noſtro tempore nullā inueniri cenſes? Platonē enim nō aliter, atꝗ; ſus amaracū, penitus refugis, & abhorres: Ariſtotelis autē nulla dicis amplius extare opera. An in Mathematicis,

quas ne pictas quidem (quod aiunt) disciplinas unquã uidisti? An in iure ciuili, quod nunquam attigisti? Quid ergo? cuius rei te professorem facis? quem te esse dicemus? in qua tibi scientia places? aude aliquam proferre. Imò uerò fortasse dices, Ego sum

Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schœnobates, medicus, magus. Scio istam esse professionem tuam: & quidem alienis semper mensis accubans, ista profiteris. Quid tum? quæ tandem istius tantæ doctrinæ tuæ, sexaginta atq; amplius annis quibus hactenus uixisti, documenta dedisti? nihil certè aliud à te scriptum extare uideo, præter illam farraginem sordidorum uerborum, quam Obseruationibus Longolij adiunxisti: & præter unam syllabatim emendicatam epistolam, quam illi operi præfixisti: nisi fortasse uis ea quæ contra me dixisti, inter egregia opera tua connumerari. Sed tamen auctoritatem in literis tibi uendicas, & uis de ingenio & doctrina mea iudicium facere. Sit ita sanè. uerùm in hac parte uide, ut sis constans, & ne (quod ubiq; ferè soles) uinolentorum more titubes, ac tibi ipse contradicas. Quid ais? fateris me multa legisse, sed pauca intellexisse: atq; huius rei duas adiungis caussas. primò enim ais id accidisse, ob ingenij mei tarditatem: deinde etiam, quia præceptores parum bonos habuerim. De præceptoribus illud primò tibi respondeo, me tales habuisse, quales multi desiderant, pauci assequi possunt, qui adhuc omnes uiuunt, & in summo honore ac precio habentur: & quos tu longè quidem omnes ætate præcedis, sed doctrina longo interuallo uix præcurrentium terga spectare potes. In grãmaticis atq; rhetoricis, ANGELVM APPIANVM, & PRIMVM COMITEM, consobrinum meum, habui præceptores:

ceptores: de quibus nihil dico amplius, quàm quod omnes intelligunt, uiros neque doctiores, neque meliores usquam inueniri. In Dialecticis, acutissimum uirũ ARVNTEM BATALEVM habui: sub quo quantum profecerim, tu profectò ipse, nisi planè plumbeus es, sentire potes. In Mathematicis, HIERONYMVM CARDANVM, hominem celeberrimum, & non tantum Mathematicorum, sed etiam medicorum facilè principem: à quo multum etiam Philosophiæ ex familiari consuetudine percepi. In naturali Philosophia, cùm alios nonnullos, tum præcipuè VINCENTIVM MAGIVM, quem amplitudinis & honoris gratia nomino, Philosophum nostra tempestate celeberrimum. Quin etiam iuri ciuili sub ALCIATO Magno tantum operæ dedi, quantum satis sit ad bonos autores intelligendos, & ad orationem pleniorem efficiendam. Vides igitur profectò, quàm ineptè, quamque sine ratione garrias, qui præceptores eos parum idoneos esse dicis, quos uniuersus penè orbis terrarum admiratur. De ingenio uerò meo, quod tardum esse dicis, tantum tibi respondeo, me mihi illud fingere non potuisse: sed quo minus ingenio ualeo, subsidio mihi diligentiam comparasse: quæ quanta sit, ex uitæ meæ rationibus intelligi facilè potest. neque sanè unquam mihi ingenij laudem uendicaui: quamuis poeta quidam ambitiose dicat,

Qui uelit ingenio cedere, rarus erit.

Ego uerò potius industriæ laude delector, qua maximè alitur ingenium. Sed tamen tu ipse mira quadam inconstantia, illud idem quod mihi adimis, paulo pòst attribuis: aut certè quid dicas, non aduertis. primò enim, me tardo ingenio dicis esse: deinde non ita multo pòst, ualde subtilem appellas. Nam qua ratione fieri potest, ut

qui

qui propter ingenij tarditatem uerum perſpicere non poſsit, is in diſputando ualdè ſubtilis ſit? Quid? quòd multa mihi adeſſe concedis, ut magnam in ſcribēdo copiam, & figurarum uarietatem: deinde concludis, hæc omnia mihi nō ingenio quæſita, ſed natura data? quantæ hoc demum tarditatis & ſtuporis eſt? Quis enim eſt, cui natura datum ſit, ut copioſe, uariè, figurateq́; ſcribat? quis non intelligit, nos ſcribendi rationem non à natura, ſed ab arte recipere? quis non uidet, hoc loco ubi iudicium tuum oſtentas, te inſigniter delirare? quid eſt enim ingenium, niſi natura ipſa hominis, quatenus homo eſt? Cur igitur ais, quæ mihi bona ſunt, ea non ingenio quæſita, ſed natura eſſe data? quam ponis inter ingenium & naturam hominis differentiam? Fac, ut intelligā. Sum enim (ut tu iudicas) hebeti tardoq́; ingenio, neſcio quomodo fieri poſsit, ut quis natura ualdè ſubtilis ſit, & copioſus, & uarius: & idem ingenij tarditate laboret. Quòd ſi fortè dixiſſes, ea quę in me bona eſſe concedis, nō induſtria à me quæſita, ſed natura data, maius eſſe conuicium exiſtimaſſem: quoniam (ut ſuprà dixi) me laus induſtriæ magnopere delectat. Nunc ipſe tua ſponte mihi induſtriā concedis, cum ais me multa perlegiſſe. tribuis etiam naturam copioſam, & uariā, & ſubtilem: unum tantum adimis ingenium. Hoc profectò mihi monſtri ſimile uidetur. ut ſi quis dicat, aliquem habere quidem ſenſum oculorum acerrimum, ſed nihil penitus uidere. ſicuti enim uiſus effectus eſt oculi bene conſtituti, ita etiam ingenium naturæ conſtitutionē ſequitur: ut mala natura malum pariat ingenium, bona bonum. unde fit, ut apud bonos auctores nulla penè ſit inter ingenium & naturam hominis differentia: ut Terentius, Ita ut ingenium eſt hominum à labore procliue ad

libidinem.

libidinem. Et Cicero primo de Officijs, cum inter homines maximam naturarũ dissimilitudinẽ esse docuisset, ita postea concludit, Suum igitur quisque noscat ingeniũ. Vbi nullã omnino facit inter naturã & ingenium differentiam. & primo de Oratore Crassus ostẽdit, naturam atque ingenium penè idẽ esse, quando ait: Sic igitur sentio, naturã primùm atque ingeniũ ad dicendũ uim afferre maximã. Et paulo pòst ait, scriptoribus artis non rationem dicendi & uiam, sed naturam defuisse. nam & animi & ingenij, inquit, celeres quidam motus esse debẽt, qui ad cogitandũ acuti, & ad explicandum ornãdumque sint uberes. Declarat igitur, quid naturæ nomine intelligat: ubi uides, ingeniũ sub natura contineri. est enim natura generalius nomen, & ad plura pertinẽs, quàm ingenium: sed quoties ad hominẽ refertur, uel potius ad hominis animũ, semper idem est natura quod ingenium: ut pro Archia Cicero: Etiã illud adiungo, sæpius ad laudem atque uirtutẽ naturã sine doctrina, quàm sine natura ualuisse doctrinam. Atque idẽ ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrẽ accesserit ratio quędã cõformatioque doctrinæ, tũ illud nescio quid præclarũ ac singulare solere existere. In Bruto: Atque hic à magistris parum institutus, naturã habuit admirabilem ad dicendũ, industriam non sum expertus. Quod optimè conuenit cum eo quod pro Cælio dixit: Atque in eo ingeniũ eius elucere uidebatis: quod sepe etiamsi industria nõ alitur, ualet tamẽ ipsum suis uiribus. Quin Horatius hoc apertissimè demonstrat his uersibus:

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est: ego nec studium sine diuite uena,
Nec rude quid prosit uideo ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res & coniurat amicè.

Sed quid exẽplis opus est, cũ te tuo ipsius gladio iugulare possim? quid ais uir cõstãtissime? naturã mihi adesse uariã, & subtilẽ: & copiosam non negas: sed ais tardo me esse ingenio. Quid autẽ est inter naturã hominis, & ingeniũ, differẽtię? nihil prorsus. Quo auctore? malo quidẽ, sed ad hãc rem probandã satis idoneo, Mario Nizolio Brixellẽsi, in magno illo uolumine suarũ Obseruationũ: qui in uocabulo Ingenij interpretãdo, statim naturã adiũgit: & in uocabulo Naturę, addit ingeniũ. An non ita est? omnino. potest enim, quicũq; uoluerit, tuas illas interpretationes uidere. O mirũ ingeniũ, & iudiciũ, Nizoli, tuũ, quod per totum ut ais orbem latinum circumferatur, & quod etiã posteri suspiciãt. dicẽt enim aliquando minores, à Nizolio factum esse iudicium de Maioragio, quòd is quidem esset natura uarius, copiosus, & subtilis, sed tamen ingenij tarditate laboraret. Papæ, quàm acre, quàm acutum, quàm exquisitum iudicium? Equidem maiorem in modum admiror, quòd illi sapientissimi uiri Veneti, apud quos habitas, cũ te tanto iudicio pollere uideant, non te statim arripiant, et Decemuirorum caput esse iubeant: aut uniuerso concilio suo præficiant, Ducemq; creent, quo bina possis in eorum administranda Republica, pro tuo singulari iudicio, suffragia ferre. Sed his omissis, quod nam ego de te iudicium faciam Nizoli? Nullũ certè aliud, quàm quòd omnes intelligere facilè possunt: te uel ignorãtia rerum, uel inuidia, uel malignitate, uel arrogantia, uel ętatis uitio: uel (quod uerius est) his omnibus de causis ita desipere, ut nec quid scribas, nec ad quos, nec qua de causa, nec quo modo, nec deniq; quibus rationibus, quibus uerbis, aut quo ordine, consideres.

F I N I S.

M. AN.

M. ANTONII MAIORAGII

RECVSATIO OMNIVM EORVM,
quæ Nizolius in Decisionibus eius, tanquam male posita, notauit.

CVM iam superiores duos Reprehensionũ libros absoluissem, allatæ sunt ad me tuo nomine nescio quæ Defensiones à te conscriptæ, cõtra Cœlij Calcagnini Disquisitiones in Officia Ciceronis, in quibus me etiam oblique laceras, quòd quibusdam in locis non satis in Decisionibus meis Ciceronẽ defendisse tibi uidear. Quo in opusculo tuo licet non tam rabiosus sis, quàm in Antapologia fueras, credo, quia totum in ea uirus tuum effuderas: summam tamen improbitatem & impudentiam ostendis: uel quòd in me falsa crimina confingis, & aperte mentiris, ut ostendam: uel quòd rationes meas arripis, & eas, quia tu nullas excogitare nouas potuisti, uerbis tuis uel amplificas, uel cõtrahis: deinde illis, tanquam si tuæ essent, uteris: & cum eadem omnino dicas, quæ à me prius dicta fuerant, ambitiose tamen ea tanquam noua inuenta tua profers: ut tanquã cornix illa Aesopica, furtiuis indutus plumis, inter pauones, si fieri potest, cõnumereris, & aliquid tandẽ sapere uideare. Sed ego iamiam alienas tibi plumas detraham, ut furtiuo denudatus ornatu, nigerrimo corpore tuo risum literatis omnibus concites. Interim dic mihi noue patrone, sic enim teipsum appellas, cum tamẽ iam pene rancidus sis: quantũ temporis est, cum Cœlij Calcagnini Disquisitiones in lucem uenerunt? Equidem uideo iam decimum annum esse transactum. Quid interea fecisti bone patrone? cur hanc maculam tandiu in

Ciceroniano nomine inueterare passus es? cur Calcagnino uiuente, non cōtra illum certamen suscepisti? cur expectasti, ut ego penè adolescens in medium prodirem, & Ciceronis causam defenderem? Non te pudet, ueteranū hominem, & Calcagnini ipsius uel æqualem, uel fortasse aliquot etiam annis natu maiorem, eo uiuente nihil unquā ausum contra illū dicere: post eius mortē expectasse, ut ego iuuenili ætate quodāmodo exultās, tuendū Ciceronē susciperem? quid interim faciebas patrone magne? cur trepidabas? cur extimescebas? cur latebras, quib. te occultare posses, inuestigabas? cur nō eam causam tam illustrē, tam grauē, tam honestā defendēdi Ciceronis suscipiebas? Ergo tanq̄ è specula, iacentem, & oppressum calūnijs, & quasi cœno deformatum Ciceronē contemplabaris, neq; te rei indignitas mouebat, neq; contra calumniatorē eius, os aperire audebas, sed expectabas, ut eū aliquis erigeret, atq; expurgaret: ut posteà tu accurrens impudentissimè clamares, à te erectum & expurgatum fuisse? Verùm hoc inertiæ tuæ condonemus, timiditati atq; ignauiæ tribuamus. Quid postea quàm Decisiones meas uidisti, cur non statim, si te Ciceronis causa mouebat, ea quæ non à me rectè defensa intelligebas, iterum defendisti? cur post annos quinq; atq; amplius, ex quo in lucem Decisiones meæ uenerunt, nunc tandem cum tribus conclusiunculis in medium prodis, quibus scilicet non tantum Calcagninum Ciceronis accusatorem, sed me etiam eius defensorem inuadas? An non omnes intelligere posunt, te non Ciceronis causa motum, sed studio mihi maledicendi prouinciam istam suscepisse? nam si te Ciceronis dignitas mouisset, certè uiuente Calcagnino, causam eius egisses: aut si uiuētem Ciceronis aduersariū (quæ tua ignauia

nauia est, aggredi nō audebas, eo mortuo statim Ciceronem defendisses. Quod si tum etiam defensionem ignorabas, postquam in Decisionibus meis ego tibi uiam aperuissem, illam ingressus, id quod ais me præstare nō potuisse, tu ipse præstitisses. sed horum nihil non modò non fecisti, sed ne facere quidem cogitasti. Nunc uerò, postquam tua sponte mihi factus es inimicus, tandem te nouum Ciceronis patronum finxisti, quo posses impudentius & licentius in me debacchari. Verùm esto, tardè ueneris ad scribendum, uideamus, quid decem annis pro Cicerone contra Calcagninum, & quid quinq; annis contra me commentatus fueris.

Recusatio primæ Defensionis.

AC primò quidem è uigintiquinq; Calcagnini Disquisitionibus, undecim tantùm examinandas suscipis, itaq; cōcedis, à me quatuordecim in Decisionib. meis rectè fuisse refutatas. præterea ex illis Vndecim quas suscepisti, Sextā à me rectè defensam ais. hęc enim sunt uerba tua: Maioragius aduersus hanc disquisitionem omnia rectè dixit. In quinq; postremis nihil addis ad rationes meas, quod omnes uidere facilè possunt. quo fit, ut ego uiginti Calcagnini Disquisitiones te auctore & prædicatore rectè refutarim, & in eis satis Ciceronem defenderim. Quod cum ita sit, in Quinq; tantū primis, nescio quid à me, tu scilicet nouus Ciceronis patronus, dissentire uideris: non quod id, in quo dissentis, ad Ciceronis defensionem aliquid attineat, sed quòd tuam mihi maledicēdi libidinem occultam habere non potes. Verùm hocquàm imperitè, quāq; ineptè facias, uideamus. Improbarat inscriptionē De Officijs Calcagninus: & melius De Officio, posse illud opus inscribi dixerat, contrà ego multis rationibus, malè sentire Cal-

cagninum docui, longeq́ pleniorem & meliorem, De Officijs, inscriptionē esse, quàm, De Officio, declaraui. Tu nouus quidam patronus (ut teipsum appellas) ad hanc causam ita aggrederis, ut initio statim præuaricator improbissimus esse uidearis. nam Calcagnini sententiam contra Ciceronem multis quidem, sed ineptis rationibus probare contendis: idq́ non alia de causa facis, nisi ut meam impugnes. Hoc nimirum est, quod pro Ciceronis defensione toto decennio tandem excogitare potuisti, rectissimè scilicet potuisse Ciceronem De Officio, suum opus inscribere, per figuram, quam grammatici Synecdochen uocant, in qua singularis numerus pro plurali ponatur: & hoc ais neque à Calcagnino, neque à me fuisse intellectum. hæc est totius primi capitis tui summa, in quo sine ratione tot nugas, quæ nihil ad propositum faciunt, cōgessisti, ut nemo sine risu possit eas legere. Quid enim facit ad Ciceronis defensionem contra Calcagninum, quòd apud Aristotelem unus piscis ponatur pro omnibus piscibus? aut una apis pro omnibus apibus? quid ad inscriptionem librorum de Officijs, facit lex illa duodecim tabularū: Tutor cum pupillorum matre ne habitato? aut quid illud Euclidis, Triāgulum habet tres angulos æquales duobus rectis? multaq́ huiusmodi, quæ ideò collegisti, ut pueriliter te multa scire ostentares, non quòd ea susceptam à te causam adiuuare posse intelligeres. hæc enim certè non Ciceronis inscriptionem defendunt, sed si quid ad rem faciunt, Calcagnini Disquisitionē corroborant. Mirificū uerò defensorē, qui rationes aduersarij sui quibuscunq́ potest argumentis cōfirmet. Dic enim, quæso, mihi noue patrone, quid attulisti noui in hac prima Disquisitione, quo Ciceronē defenderes? profer unū aliquod uerbum:

bum: & te longè diligentiorem, quàm ego fuerim, facilè concedã. Sed non potes. nam quæ tu tanto tempore excogitasti, omnia pro Calcagnino faciunt: quæ uerò duo sola pro Ciceronis inscriptione protulisti, ambo mihi surripuisti. Locus enim ille ad Atticũ, ubi ait Cicero, inscriptionẽ De Officijs, esse pleniorẽ, à me citatus est: tu uerò tanquã tuum profers. eam autẽ rationẽ qua concludis, longè melius De Officijs, quàm De Officio, opus inscribi, non'ne totã mihi suffuratus es? quod ut omnes apertè uidere possint, primò uerba mea ponã, deinde tua. Sic enim ego; Nam si de arte aliqua speciatim tractaret, aut de aliquo ordine, melius fortasse De Officio, q̃ De Officijs inscripsisset: ut, De Cõsulis Officio, De Pretoris Officio, atq; ita de reliquis. Sed cum omnẽ artem, omnẽ ætatẽ, omnẽ ordinẽ, omne deniq; genus hominũ his libris cõprehenderit, & officij sui singulos admonuerit, necesse fuit, ut si latinè loqui uolebat, De Officijs, nõ, De Officio titulũ apponeret. Hęc ego, tu uerò ita: Cicero de Officijs generaliter tractaturus, inscriptione generali usus est. quòd si de officijs tantũ unius ordinis, uel generis personarũ scribere uoluisset, usitatius fortassis inscripsisset, exempli gratia De Officio patris, De Officio principis. sic enim iuriscõsulti, De Officio Cõsulis, De Officio Pretoris, De Officio Præsidis inscribũt. Potest'ne furtũ aliquod manifestius deprehẽdi? nõ opinor. Quid ergo? habes'ne aliquid aliud pro Cicerone? ne unũ quidẽ uerbũ. Ergo meis rationibus Ciceronem defendis, tuis impugnas. Venio enim nunc ad illam præclaram Synecdochen tuam, quam ais à me nunquam intellectam: in qua parte quamuis multa uerborum millia profundas, tamen plura penè sunt errata, quàm uerba. Nam illud primùm tibi oppono, te maxi-

me in ista synecdoche tua decipi, quæ nequaquam tam latè patet, ut tu existimas. ut enim sit ea synecdoche, qua usus est Virgilius, cum dixit, Hostis habet muros: & Liuius, cum dixit, Romanus pugnando uictor: non tamen concedam, etiam esse synecdochen, cum ita dicimus: Ex animalibus alia sunt terrestria, ut homo, equus: alia aquatilia, ut piscis, rana: alia uolucria, ut aquila, cygnus. his enim exemplis nomine speciei singularia uniuersa declarantur, quæ sub ea specie continentur: non autem figuratè singularis numerus pro plurali ponitur, ut tu somniasti. Nam species idē significat, quod omnia singularia, quæ sub ea continentur. Vnde rectè Porphyrius ita dixit: Speciei communione ac societate unum efficitur ex multis: & singulorum natura, ex una & communi re multæ fiunt. ut enim res singulæ & priuatæ diuidendi, sic quod commune est, uim habet comprehendendi, efficiendiq; unum. quare species idem, quod omnia singularia simul collecta, significat: ut idē est homo quatenus ad naturam attinet, quod homines omnes: idem equus, quod equi: idem leo, quod leones. ipsa enim species in singularibus suis fundata est, & ab eis in hoc tantum differt, quòd ipsa species æterna est, & perpetuò conseruatur, singularia uerò cōtinenter & oriuntur & intereunt: ut exempli gratia, post centum abhinc annos erit homo, & tamen nulli fortasse homines erunt eorum qui hodie uiuunt. seruabitur ergo species, singularia siue indiuidua peribunt. Itaq; maximè ridiculus & ineptus es, qui putes unum hominem poni pro omnibus hominibus, per figurā synecdochen: ut cum dicit Aristoteles, Ciuilis generis est homo, apis, uespa, formica, grus, putes eum figuratè loqui, & unum hominem pro omnibus hominibus, unam apem pro

omnibus

omnibus apibus usurpare. Quòd si Philosophũ unquã pictum (quod aiunt) uidisses, aut si aliquam potius dialecticæ partem, quàm maledicẽdi artem discere uoluisses, non tantopere sanè delirares: & quãto in errore uerseris, apertè cognosceres. Longè enim melius, & magis propriè in rebus omnibus species usurpamus, quàm ipsa singularia. Voco autem ego singularia, non nomina singularis numeri, qualc est poeta, dominus: sed quæ sub specie continentur, & Græcis ἄτομα, à nostris indiuidua uocantur: ut equus commune uocabulum est, & species dicitur: equi uerò in plurali numero, non est species, uerùm singularia significat, ut hunc equum, illum equum, in quibus fundatur species. quare cũ dico homo, uel apis, uel equus, uel aliquid huiusmodi, rem stabilem & æternam dico, quæ nunquam intereat: cum autem dico homines, uel apes, uel equi, tunc rem fragilem & caducam & mortalem denoto, quæ longo tempore esse non posit. quoniam (ut antea dixi) post centũ annos nulli homines, uel apes, uel equi erunt, eorum qui nunc sunt: & tamẽ erit homo, & apis, & equus: hoc est, erit eadem species hominis, & apis, & equi, quæ etiam nunc est. neq; ipsa species immutabitur, licet alia succedant singularia. Sed peto à te, qui putas unum poni pro multis, utrum existimes aliquid interesse, si quis dicat, homo, & iste homo? uel si hoc propter ingenij tui tarditatem non intelligis, declara mihi illud Ciceronis in Pisonem, quoniam tam magnus es Ciceronis obseruator: Nam tu, inquit, cum Quęstor es factus, etiam qui te nũquam uiderant, tamen illum honorẽ nomini mandabant tuo. Aedilis es factus: Piso est à pop. Rom. factus, non iste Piso. prætura item maioribus delata est tuis, noti erant illi mortui, te uiuum nondum nouerat:

quisq;. Quid est, quod ait Cicero, Piso est à pop. Rom. factus, non iste Piso? non'ne cum ait, Piso, declarat nobilissimam Pisonum familiam? in qua multi uiri præstantissimi fuerant, unde manebat eius familiæ nomen & gloria: licet ille Piso, quem insectabatur Cicero, degenerasset à maioribus suis. Piso igitur quandam habet speciei similitudinem, quia longissimo tempore durare potest ea familia: cum interim Pisones nulli hominis ætatem transire possint. an dices hoc loco Ciceronem usum fuisse Synecdoche, & figuratè locutum? quàm imperitus esses, si hoc faceres? quis enim non uidet, hoc loco Pisonem, non unum aliquem è Pisonum familia, sed ipsam familiam uniuersam significare? Quod ipse Cicero clarè ostendit, cum ait: Prætura item maioribus delata est tuis, noti erant illi mortui. Manebat enim Piso, licet Pisones essent mortui: sicuti manet homo, licet homines superioris ætatis mortui sint. Quid opus igitur fuit tot nugis ad confirmandam istam synecdochen tuam, & in exemplis afferendis, & in legibus sanciendis, & in definitionibus reddendis, & in scientijs tradendis, & in faciendis inscriptionibus librorum? cum in nullis his rebus unquam locum habeat Synecdoche. nam hæc omnia uel per species fieri solent, si utamur singulari numero, sine demonstratiua nota: uel per singularia formarum, si plurali numero utamur. Tu uerò uis nos figuratè loqui, quoties singulari numero utimur: propriè autem & rectè, quoties plurali. uide, quantum à ueritate, tua discrepet oratio. Nos enim ipsa ratio docet, species tantum ipsas uerè & propriè semper esse: indiuidua uerò non propriè, neq; uerè unquam esse. Quare quoties aliquid speciatim appellamus, tunc maximè propriè loquimur: non autem figuratè, quemadmodum

modum tu uaticinaris. quoties autē plurali numero formarum utimur, tunc impropriè loqui uidemur. Itaq; rarissimè uidebis bonos auctores aut in exemplis afferendis, quæ naturam aliquam denotent, aut in definitionibus reddendis, aut in scientijs tradendis, aut deniq; alijs in rebus, formarum nomina pluraliter usurpare: nisi eos inuitet aliqua sermonis elegantia, quæ magis aures demulcere posse uideatur, si à proprietate loquendi discesserit. Quamobrem illud tuum pingue penitus & crassum est, quod ais Ciceronem, cum primo de Inuentione dixit, Genus est, quod plures amplectitur partes, ut animal: potuisse rectè dicere, ut animalia. quis enim unquam dixit, animalia esse genus? an non aduertis genus unam tantum notionem significare, quæ formarum omnium sub eo contentarum naturam complectatur? quæ quidem notio semper est in singulari, non autem in plurali: ut scilicet animal notionem generalem significet, animalia uerò distrahant illam notionem, & uel ad species, uel ad singularia transferant. ut enim terra elementum quidem est, sed terræ non sunt elementum, uerùm elementi partes: ita animal genus est, animalia uerò non genus, sed generis formæ seu species: quod uel puero perspicuum est. Mirifica uerò uis & potestas est istius tuæ Synecdoches, quam scientijs omnibus miscere contendis, & qua conaris dialecticorum & philosophorum uniuersalia tollere: credo, quia nunquam ea potueris intelligere. nam si uerum esset quod ais, nulla ferè definitio propria esset, sed omnes figuratæ: quoniam frequentissima & quasi perpetua consuetudo est, ut in definitionibus assignandis singulari numero utamur. neque enim homines, sed hominem definimus; neque animalia, sed animal:

neq; puncta, sed punctum. atq; ita de reliquis: quod in Decisionibus copiose declaraui. Sed hęc ut imperitiam tuam ostenderem, disputare uolui. Nam illud etiam quod ais, propriam locutionem semper plenius exprimere significationem, quàm figuratam, omnino falsum est, & imperitè dictum: cum pluribus in locis aliter Cicero sentiat, & figuratam locutionem maximè excellere dicat, atq; animos huc atq; illuc mouere: quia maximè sentētias illuminet, & rē penè oculis subijciat: quod etiam Quintilianus affirmat. Nunc ad inscriptionem, De Officijs, uenio: in qua tu contra me & Ciceronem, cum Calcagnino sentiens, ais potuisse rectissimè Ciceronem, De Officio, dicere. At ego iterum dico, falsum hoc esse omnino, cum id tu nulla ratione probare possis: nisi quòd tua illa synecdoche, tanquam Delphico gladio, passim uteris. nam si inscriptio De Officijs, plenior & melior est, ut ipse Cicero sentit, nec tu negare audes: certè inscriptio De Officio, esset & inanior, & deterior, neq; synecdoche tua posset illā excusare. Verùm ut hoc apertius intelligatur, & declaretur, qua de causa librorum inscriptiones modò singulariter, modò pluraliter efferantur: dico illud à bonis auctoribus & Græcis & Latinis seruari solere, ut quoties de natura alicuius rei, quæ una idea seu specie comprehendi possit, uerba facturi sunt, inscriptionem singulari numero ponant: ut Aristoteles, de Anima, de Cœlo, de Memoria, de Sensu, de Somno, de Generatione: Cicero, de Fato, de Diuinatione, de Vniuersitate, de Amicitia, de Senectute: Plutarchus, de Musica, de Tranquillitate animi, de Fortuna: Seneca, de Beneficentia, de Ira, de Paupertate. hoc autem ideò fit, quoniam ea quæ tractantur, aut unica sunt, ut cœlum, uniuersitas: aut tantum indiuidua

sub

ſub ſe continent, ut hunc ſenſum, hoc fatum, hanc amicitiam. quare in his non rectè plurali numero inſcriptionem facere poſſumus. neque enim quis uſitatè librum inſcriberet de Fatis, aut de Amicitijs. Quoties autem generaliter de rebus, quæ non poſsint una ſpecie comprehendi, uerba faciunt, tunc plurali numero inſcriptionem apponunt: ut Ariſtoteles Phyſicorum, Ethicorum, Politicorum: Cicero de Finibus, de Officijs, de Legibus: Plutarchus de Placitis Philoſophorum, Amatoriæ narrationes, de Claris mulieribus: Seneca Naturalium Quæſtionum, de Moribus, de Remedijs Fortuitorum. atque hoc ideò faciunt, quia licet pluralis numerus generalia nomina diſtrahat, non tamen ad indiuidua, quæ propter infinitatem ſcientia comprehendi non poſſunt, diſtractio illa deſcendit: ſed in formis ipſis conſiſtit. ut exempli gratia, apud Ciceronem de Officijs, eſt aliquod officium, quod ad iuſticiam pertinet, quæ uirtutis eſt ſpecies: aliud, quod ad fortitudinem, quæ itidem eſt ſpecies uirtutis. quod ſi de una tantum uirtutis ſpecie tractaretur, nõ rectè plurali numero poſſet opus inſcribi. quis enim titulum ferat, De Iuſticijs, aut De Prudentijs? cum interim rectè poſsimus inſcribere, De Virtutibus: quia ſcilicet uirtus ad plures ſpecies referri ſolet. Hac igitur ratione Cicero, cum generaliter de omni officiorum ſpecie tractaturus eſſet, quæ nequaquam una forma comprehendi poſſunt: quaſi neceſsitate coactus, pluralem inſcriptionem appoſuit. Sunt præterea res quædam, quæ quodammodo ſub una ſpecie continentur, quodammodo non continentur: de quibus cum tractamus, in utrolibet numero facere inſcriptionem poſſumus: ut, uirtus quatenus ad honeſtatem refertur, & ad bene uiuendum, unam tan-

tum formam ſeu ſpeciem habet: quatenus autem ſigil-latim eius formæ ſegregant,& à iuſtitia fortitudo,à prudentia tẽperantia diſtinguitur, nõ unam habet rationẽ. quo fit, ut uel de Virtute, uel De Virtutibus poſsimus inſcriptionem facere. Ita Cicero de Inuentione libros inſcripſit, quoniam ad unam eloquentiæ formam pertinent. quòd ſi quis diuerſas argumentationum ſpecies conſideret, poterit etiam de inuentionibus inſcribere: quemadmodum Hermogenes fecit. Idem dicendum eſt de Platonis libris de Republica. quatenus enim generaliter de omni ſtatu Reipub. quodammodo loqui uidentur, rectè plurali numero inſcribuntur. quatenus autem unam ipſe Plato Reipub. formam conſtituit, & qualis eſſe debeat oſtendit, ſingulari numero potius inſcribi debent. Quanquam (ut uerè fatear) mihi ſuſpectus eſt ille titulus πολιτειῶν, & potius πολιτείας in ſingulari numero inſcribi debere exiſtimo: primò, quia ratio id poſcere uidetur, cum unam tãtum Reipub. formam, non plures eis in libris Plato conſtituat: deinde, quia uideo paſsim apud auctores & græcos & latinos eam inſcriptionem ſingulari numero citari. Proclus enim (ut etiam tu notaſti) ſingulari ſemper numero πολιτείαν citat, & Diogenes Laertius πολιτείαν, ἢ περὶ δικαίου appellat. Cicero uerò primo de Diuinatione: Vide, inquit, quid Socrates in Platonis Politia loquatur. & in ſecundo eiuſdem operis: Quòd Platonis Politiam nuper apud me mures corroſerũt. quem etiam imitatus ipſe Cicero, ſuos libros de Repub inſcripſit: & Marſilius Ficinus, Platonis interpres, in cõuerſione ſua titulũ hũc appoſuit, De Repub. uel de Iuſto. Quod ſi quis uelit pluralem inſcriptionem tueri, poterit ea ratione, quam ſuprà poſui. Sed iſtam ueſtram De officio inſcriptionem,

nemo

nemo nisi imperitissimè tueri potest. neq; enim unquã generaliter officia ad unam speciem omnia referentur. nam aliqua ad honestatem, aliqua ad utilitatem, aliqua ad iucunditatem, aliqua simul ad hæc omnia, sed diuersa ratione, referuntur. præterea ad ætates, ad magistratus, ad artes, ad omnes deniq; actiones officia pertinẽt. quæ quis non uidet, una forma nequaquam comprehendi posse? Quare concludo, te planè desipere, qui dicas potuisse rectissimè Ciceronem de Officio suum opus inscribere, per tropum seu figuram synecdochen: cum nulla ratio patiatur, ut res tam uariæ, tamq; diuersæ quæ traduntur in libris de Officijs, tam in angustum contrahantur, ut per unum officium omnia cuiuslibet generis officia intelligantur.

Recusatio secundæ Defensionis.

IN secunda uerò Disquisitione, adeò te præstãtem atque admirabilem patronum præstitisti, ut si quid benè dixisti: partim ex duabus Decisionibus meis, secunda, & uigesima prima collegeris: partim Iacobo Grifolo, qui post me in Calcagninum scripsit, surripueris: quæ uerò peruersè pessimeq; scripsisti, ea tu solus excogitaris, nisi fortè quia uerba mutare conatus es, ne furtum tuum deprehenderetur, ideo te plagiarij nomen subterfugere posse speres: aut quoniam ex duobus exemplis, quæ ad confirmandas nostras in Calcagninum rationes attulisti, alterum à medicis, alterum à iurisconsultis sumpsisti, putes idcircò te doctissimum hominem existimari debere: aut denique, quia plurima contra me impudentissimè mentitus es, ideò te strenuum & ualentem esse disputatorem credas. Quid ergo? arguebat Ciceronem Calcagninus, quòd officium se definiturum pollicitus, id non præstitisset. ego

primus, cum ad huc essem adolescēs, Ciceronis causam suscepi, copioseq; docui, nihil à Cicerone pretermissum uel quod ad generale officium definiendum pertineret, uel ad officij partes, hoc est, ad perfectum & medium officium. Nam cum multæ definitiones per diuisionem fiant, & præsertim eorum nominum quæ sunt ambiguæ significationis: docui, Ciceronem ibi definisse generale officium, ubi ait: Omnis de officio duplex est quæstio. cum autem propria definitio rei naturam explicet quid sit, dixi à Cicerone partes officij propriè fuisse definitas, ubi ait: Atq; ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum esse officium definiant: medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi posit. Super quibus Ciceronis definitionibus adeò multa disputaui, ut apertissimè ostenderim, præstitisse Ciceronem quod pollicitus fuerat. Scripsit deinde in Calcagninum IACOBVS GRIFOLVS, qui, quod ad definitiones partium officij, mecum sentit: quod ad officij generalis definitionem, ait ideò prætermissam à Cicerone, eo quòd uocabulum officij sit analogum, hoc est (ut ego dixeram) ambiguæ significationis: atq; ideò per genus suum definiri non posit. addit etiam illud, quod ei tu surripuisti: nusquam Ciceronem pollicitum fuisse definitionem officij generalis, sed eius de quo disputaturus erat, hoc est, officij medij: quod etiam præstitit. Ego uerò docui, & generale officium eo modo definitum à Cicerone, quo definiri potest, hoc est per diuisionem, & partes officij generalis propriè fuisse definitas. Itaq; in hanc sententiam multa pro Cicerone & à me, & à Grifolo disputantur, ut non opus esset te nouam istam, uel potius iam putidam defensionem tuam in mediũ proferre: nisi tam importunus esses, ut omnia

ridiculis

ridiculis & abſurdis ſcriptis tuis cõtaminare uelis. Nam quàm inepta eſt, quamq́ abſurda illa defenſio tua? cum enim Calcagninus dixiſſet, in definitione perfecti & medij officij prætermiſſum eſſe genus à Cicerone, quia dixit, Medium officium, id eſſe dicunt, quod cur factū ſit, ratio probabilis reddi poteſt: tu mirifice patrone reſpondes, officium eſſe tanquam phlegmone, & adoptio, quod poſsit ſine genere definiri. Sed dic mihi, quid habēt ſimile phlegmōne & adoptio, cum officio? quoniam, inquis, phlegmone nonnunquam commune omnium abſceſſuum nomen eſt, nonnunquam proprium illius tantum, qui è ſanguine gignitur: ita adoptio aliquando generalis eſt, aliquando tantum ad filios familias pertinet. Euge uir erudite, pulchrè, bene, rectè. His enim exemplis famam doctrinæ uenaris: non quòd ad propoſitum ea quicquam facere intelligas. neq; enim officiū eſt aliqua ſpecies, quæ generis nomen obtineat, ut tu penitus inſulſe opinaris: ſed uel eſt genus, quod in perfectum & medium officium, ſicut animal in rationale & irrationale animal diuiditur, ut hæ ſint officij differentiæ, & tanquam ſpecies quædam, quemadmodū ego docui: uel eſt analogum nomen, ut Grifolus cenſet. atq; utroq; modo neq; ταυτολογία committetur, ſi addatur genus in definitione: neq; erit imminuta definitio, ſi genus ſubticeatur, & pro nomine tantum deſignetur. Hæc eſt uerißima Ciceronis defenſio. Tu uerò phlegmonas tuas, & adoptiones, cum reliquis inſulſißimis nugis, rectè potes ſalſamentarijs committere: cum præſertim paulo pòſt uel imprudentia ductus, uel neceßitate ueritatis ipſius coactus, in meam ſententiam apertè delabaris, & fatearis, officium de perfecto & medio officio, tanquā genus de formis ſuis, dici. Nam ad alterā

Calcagnini accusationem, qui dixerat definitionẽ perfecti officij medio accommodari posse, & contrà medij perfecto; ita respondes, ut omnia penè mihi surripias. illa enim distinctio, unde tota defensio tua pendet, tota mea est: actionum, siue officiorum aliqua esse, quorum ratio uera & recta reddi posit: aliqua, quorũ tantum probabilis. Quòd autem hoc uerum sit, uideãt omnes qui uolũt, quid uigesima prima Decisione mea dixerim. Non sufficit, inquam, ad perfectionem, ut ratio probabilis sit: sed oportet, ut etiam uera & recta sit. Ecce distinctionem meam, qua tu fur manifestarie, tanquam tua uteris. Quid? cũ probo duas tantum species officij esse posse, hoc est, perfectũ & medium, non'ne hac eadem utor distinctione? aliqua enim esse dico, quę per se tantum expetantur, non alterius gratia, quæ recta dicuntur, in quibus perfectum est officium: aliqua, quæ non per se expetantur, sed alterius gratia, in quibus medium est officium, cuius probabilis ratio reddi potest. Quæ malum est ista tam immensa impudentia tua, ut cum nihil pro Cicerone boni posis dicere, quod mihi non surripias: tamen me petulantissimè sine causa insecteris? postquam enim meis rationibus paulum immutatis te Ciceronem defendisse existimas, in me statim arma conuertis, & ostendere conaris, meam non esse ueram defensionem. Sed qua de causa? quia, inquis, etiam si diuisio quam ponit primo loco Cicero, posit definitio rectè appellari, tamen ea non declarat quid sit id, de quo disputatur. quo in loco tanquam ὄνος πρὸς λύραν, facetus esse uoluisti. dicis enim me idem fecisse, ac si quis cuipiam pollliceretur equum bene saltantem, deinde persolueret talem, qui pedes à terra uix tollere posset. Papæ, quàm ingeniosa similitudo, quàm arguta,

guta. quid enim simile habet equus bene saltans, cum officij definitione? Verùm audi quæso mi barbate: considerasti'ne recte Decisiones meas? non opinor, quoniam (ut paulo pòst ostendam) apertissimè mentiris, & ais ea me non dixisse, quæ planissimè dixi: quia scilicet animo ipsa malitia ieiuno & obfuscato prius mihi malediceres cœpisti, quàm scripta mea diligenter euolueres. Sed hoc loco quid ais? non satis à me defensum Ciceronem, etiam si dixerim ab eo definitum esse officium generale pèr diuisionem. Quid? hoccine solum dixi? an non etiam longè melius, quàm aut tu, aut quiuis alius docui, & perfectum & medium officium à Cicerone definitum? Lege iterum uenerande mi uetule, Decisiones meas, & intelliges me docuisse, Ciceronem in principio de Officijs duplici usum esse genere definitionis: altero, quo generale officium diuisit in perfectum & medium: altero, quo speciem utramque officij declarauit, quid sit. priorem illam definitionem appello communem, quæ etiam distinctio & diuisio uocatur, & est ambiguæ significationis explanatio, qua usus est Cicero, cum dixit: Omnis de officio duplex est quæstio: alterã uoco propriã, quæ genere cõstet & differentijs, & rei naturã explicet, qua usus est idem Cicero cum dixit, mediũ officium id esse, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi posit. Hæc autem adeò apertè declaraui, ut uehementer admirer te non saltem tacitas hominum eruditorũ cogitationes pertimescere, qui profectò calumniam tuam auersabuntur, & impudentissimum esse hominem intelligent. Ecce autem iterum tua illa Synecdoche me inuadis, & ais me uehementer errare, qui dicam definitiones ab auctoribus in numero singulari fieri solere, non autem in plurali. uisque

quoties in singulari fiunt, esse Synecdochen: quoties autem in plurali, tunc proprias esse definitiones. sed hæc, mi uetule, ratione aliqua te probare uelim: quoniam longè aliter sentiunt omnes eruditi uiri. Vix enim unquam apud bonos auctores inuenies definitionem aliquam in plurali numero fieri, sed semper in singulari. Neq; id figuratè faciunt, ut tu somnias: sed quoniam uniuscuiusq; rei una est natura, quę definitione explicaт, & quoniam formarum tantùm definitio reperitur. Neque enim aut genera, quatenus genera sunt, neq; indiuidua uerè definiri possunt: sed species solæ definiuntur, & uniuscuiusq; speciei natura singulari numero explicaт: nisi fortasse sit aliquod nomen, quod in singulari non reperiatur. tunc enim necessariò cogimur in eius definitione pluralem numerum admittere. congregat enim species una notione, quæcunq; sub se continentur indiuidua: definitio uerò speciei, naturam omnium indiuiduorũ quæ una atq; eadẽ est, explicat. Itaq; necessitas cogit, ut definitiones in singulari numero fiant. Quod cũ aduertissent artiũ scriptores, naturã ducẽ secuti, definitiones suas in singulari numero posuerũt: ut grãmatici definierũt, quid sit litera, quid syllaba, quid dictio, quid oratio: rhetores, quid exordiũ, quid narratio, quid cõfirmatio, quid cõclusio: dialectici, quid substantia, quid quãtitas, quid qualitas, quid relatio: geometræ, quid pũctũ, quid linea, quid superficies, quid corpus: arithmetici, quid numerus, quid par, quid impar, quid hemiolius, quid epitritus: musici, quid harmonia, quid tonus, quid consonantia, quæ sit diapente, diatessaron, diapason: astrologi, quid sphæra, quid circulus, quid signum, quid horizõ, quid meridianus: philosophi, quid forma, quid materia, quid causa, quid motus, quid quies, atq; in summa

ma nullus est scriptor, qui non in singulari numero, quę sibi tractanda sunt, definiat. Quòd si tu aliter obseruasti, cur non exempla profers? nihil facilius est, quàm id facere quod tu facis, hoc est, alicui dicere, Vehemēter erras. hoc etiam mulieres & pueri facere possunt. Sed te causam & rationē erroris afferre oportebat. quod cum facere non potueris, an non idem est, ac si apertè clamasses, Ego Maioragi tibi omnino maledicere constitui: quod si uerisimiliter facere nō potero, saltem impudenter id faciam. Quid enim impudentius dici, aut excogitari potest, quàm clamare me uehementer errasse. qui dixerim definitiones in singulari numero fieri solere: cùm ne unum quidem exemplum contrarium, aut unā rationem proferre potueris? Age age Nizoli, conde te in aliquod gurgustium, neq; uelis in solem & puluerem posthac amplius prodire, cū uideas iam detectam imperitiam tuam. nam quòd ais, à me non rectè improbatam Calcagnini definitionem, qui dixerat officium esse actionem in omni uita, quoniam ea ratione esset etiam officium in pecudibus, quæ habent uitam: planè ostendis te nihil aduertere, nihil considerare, quare aliquid dicatur. idcirco enim ego dixeram addendum esse, in uita hominum: ne uideremur in quorūdam Stoicorum sententiam delabi, qui putabant etiam in beluis officium esse debere: quemadmodum Diogenes Laertius scribit. quamuis mira sit incōstantia tua. cum enim multis uerbis illam adiunctionē meam damnasses, non ita multo pòst ais: Fateor rectè additum, in omni uita hominum. Potest'ne aliquis magis sibi ipse contradicere, quàm modo eandem rem uituperare, modo laudare? Quòd autem definitionem meam officij generalis improbas, id omnino rectè faceres, nisi typographorū in-

 curia

curia particulam unã illi detraxisset: quod omnes paulo doctiores intelligere facilè possunt. Cum enim ego ita definissem, Officium est actio in omni uita hominũ, cuius aut uera, aut probabilis ratio reddi potest: typographi, subtracta una particula, ita posuerunt: Officium est actio in omni uita hominum, cuius probabilis ratio reddi potest. Huius rei testes esse possunt plures amici mei, quibus exemplar meum ostendi. quin etiam multa iam impressa uolumina, quæ magnis uiris donare decreueram, cum primùm ad manus meas uenerunt, ita emendaui: quamuis ex eis quæ ibi à me disputantur, satis intelligi posit, quæ definitio mea fuerit. Ostendo enim multa esse officia, quorum uera ratio reddi potest, quoniam sint cum uirtute coniuncta & perfecta: multa uerò, quorum tantum probabilis reddatur ratio. quoniam possunt etiam in ijs esse, quæ à uirtute remota sint. Itaq; cum duæ sint officij species, perfectum, & medium: perfecti officij rationem ueram, medij probabilem reddi posse doceo. Quod etiam clarius in uigesima prima Decisione mea declaro, ubi hæc uerba posui: Non sufficit autem ad perfectionem, ut ratio probabilis sit sed oportet, ut etiam uera, & recta sit. Vides igitur, quemadmodum ubiq; coniungam in officio generali & uerã & probabilem rationẽ. Quare mea definitio sic habet, Officium est actio in omni uita hominum, cuius aut uera, aut probabilis ratio reddi potest: ut sit hæc à partibus definitio, quo genere frequenter utuntur auctores. Sequitur adeò manifestum & apertum mendacium tuum, ut uel unum illud solum incredibilem impudentiam tuam notam omnibus facere posit. ais enim me Calcagnino concesisse, quod falso dictum ab eo fuerat: hoc est, quicquid à uirtute absit, ab officio longè abesse: cum

multa

multa sint (ut ais) à uirtute longè remota, quæ tamen inter officia numerantur. Prò dij immortales, fieri'ne potest, ut aliquis omnem ita uerecundiam exuat, ut quæ sunt ante oculos posita, negare audeat? ergo id in quo totam unam paginam consumpsi, multaq; argumenta collegi, quodq; omni ratione refutare conatus sum, ais me aduersario meo concessisse? Apage in malam rem, improbissime calumniator, qui scripta mea non legas, & de illis memoriter pronunciare audeas. Nam in secunda Decisione mea ab eo loco, Non enim omne officium est cum uirtute coniunctum: usq; ad extremam illius Decisionis partem, nihil aliud disputo, nisi, multa esse posse officia, quæ penitus sint à uirtute remota: contrà, quàm senserat Calcagninus. quem locum si iterum legeris haud dubito, quin te tanti mendacij tui plurimum pudeat, & pœniteat.

Recusatio tertiæ Defensionis.

EQuidem ego, Nizoli, cum primùm responsionem tuam ad hãc Calcagnini Disquisitionem legissem, suauiter ac iucundè ridere cœpi: quòd non tantum uerborum meorum sensum, ut in alijs fecisti, sed etiam ipsa pene omnia uerba mihi, quibus Ciceronem nouo scilicet & inaudito modo defenderes, surripuisti. Veruntamen postea, re diligentius perpensa, inuerecundum istud animi tui ingenium plusquam credi posit admiratus sum, quòd adeò frontem perfricueris, ut dicas à me ueram Ciceronis defensionem, quam tu posuisti, prætermissam: cum eadem ego omnia tribus in locis dixerim, quæ tu hoc loco posuisti, ut infrà statim ostendam. Profectò fieri non posse existimo, quin aut penitus mente captus sis, aut tãta rabie mihi maledicendi traharis, ut quæ sunt ante oculos posita non uideas.

Consi-

Consideremus tamen istam preclaram & nouam defensionem tuam. Duabus de rebus hac in parte Ciceronē Calcagninus accusarat: primò, quòd is iniquè Panætij diuisionē reprehendisset, quam uelit esse quinquepartitam, cum Panætius ex Stoicorum sententia tripartitā tantum esse dicat: deinde, quòd ipse Cicero uitiosa diuisione usus fuisset, quoniam eo modo non tantum quinque, sed etiam plures ea diuisio partes habere posset. Tu ad hanc secundam accusationis partem, quæ multo grauior esse uidetur, & in qua certè uehemētior est Calcagninus, nihil omnino respondes: paterisq́, quantum in te est, hac in re condemnari Ciceronem. quod ideò te fecisse credo, uel quia fortasse non intelligis quid Calcagninus in Cicerone reprehendat: uel quia nescis quid tibi respondendum sit, nisi more tuo rationes meas suffureris, & eas uerborum tuorum sordibus operias. Nisi fortasse te mirificè putas Calcagnini rationes refutauisse, quia dixeris esse inanes, & commentitias: neq; ullum penitus argumentum attuleris, quare tales esse uideri possint. Verùm esto, Secundæ huius accusationis parti nihil responderis, concedatur hoc uel ignorantiæ, uel tarditati tuæ. Videamus, ad primam partē quàm egregiè, quàm subtiliter, quàm ingeniose, quàm nouè responderis. Ait Calcagninus, Malè reprehendit Panætium Cicero, quoniam reuera tantum est triplex consilij capiendi deliberatio: tu uerò contrà, Imò bene reprehendit, quoniam eum errare putat. Papæ, quàm acuta defensio? nihil enim aliud prorsus adiungis quod tuum sit: nisi fortè uis, ut tibi concedam ea quæ mihi surripuisti, esse tua. Nam quòd ais, Ciceronem non in omnibus uelle Panætium & Stoicos imitari, sed arbitrio suo uti, atq; ab illis dissentire, cum opus est: & hanc esse ueram

Cicero-

Ciceronis defensionē, quæ sit à me prætermissa: uolo, ut omnes quibus hæc legere uisum fuerit, summam & incredibilem impudentiã tuam uideãt, qui dicas id omissum à me, quod tribus in locis in Decisionibus meis repetiui. Nam in prima Decisione sunt hæc à me posita uerba: Cum præsertim fateatur ipsemet Cicero, se Stoicos in hoc opere potissimum sequi: nõ ut interpretem, sed ut solemus, inquit, è fontibus eorum iudicio, arbitrioq; nostro quantum quoq; modo uidebitur, hauriemus. uult igitur uti iudicio, arbitrioq; suo Cicero, non Panætium in omnibus sequi. Sentis'ne, uetule mi suauissime, non esse uerum, quod dixisti? uides'ne te splendidè mentiri? audis'ne meam esse defensionem, quam tu pro tua usurpas? Quid? in tertia Decisione non'ne hæc est uera Ciceronis defensio, quam tu mihi surripuisti: Iam non omnes Stoicorum dogmata sequuntur, aut approbant: sed plerique & in honestate, & in utilitate hos comparationũ gradus esse existimant, ut aliud alio sit honestius, eademq; ratione aliud alio utilius. quare cum de officijs præcepta traduntur, non quæritur quæ sint philosophorum decreta, aut quam Stoici positionē tueantur: sed ad communem opinionem accõmodatur omnis oratio: & quæ sequuntur. In decimaoctaua Decisione hæc uerba posui: Sed tu (quod pace tua dixerim) nimis ineptè Stoicorum hoc loco mentionem facis. nam quãuis initio dixerit Cicero, se Stoicos in hoc opere potissimùm sequi: nõ tamē hæc officiorũ præcepta ad solos Stoicos pertinent, sed ad omne genus hominum. quod his uerbis Cicero tertio de Officijs testatur: Hæc igitur officia de quibus his libris disserimus, quasi secunda quædam honesta esse dicunt, non sapientum modò propria, sed cum omni hominũ genere com-

munia. Ex his tribus locis meis tu conflasti responsionem tuam: sed ineptè tamen, & interruptè, quoniam rationumq; mearum structuram perturbasti: & dum occultare furtum tuum studes, insulsè ridiculeq; dicis hæc à me fuisse prætermissa: quasi nemo posśit iterum Decisiones meas legere, tuamq; impudentiam agnoscere.

Recusatio quartæ defensionis.

TV uerò Nizoli, ubiq; tui similis es, hoc est, & garrulus & mēdax, qui & omnia sine ratione dicas, & arbitratu tuo fingas quæcunq; uolueris. Itaq; cum cæteri scriptores duabus potisśimum de causis aliquid mādare literis soleant, ut & alijs prosint, & sibi gloriam acquirant: tu contra omnium naturam & consuetudinem ideò scribere uideris, uti & imperitam multitudinem decipias, & in errorem inducas, à doctis autem hominibus irridearis. Nam mendacia ista quibus tu solis inniteris, rerum ignaros facilè possunt ad credendum impellere: sed peritos homines, non modò non fallunt, uerùm etiam admonent, quanta sit ignomina dignus is, qui illis utitur. Quid enim bone uir, in hac quarta Disquisitione, præter unum insigne mendacium attulisti? quo scilicet ostenderes, me nec Ciceronis, nec Platonis sententiam percepisse, atque ideo Ciceronem bene defendere non potuisse. Verùm ut hoc omnes intelligant, uerba tua primò recitabo: deinde mendacium patefaciam. Plato, inquis, in septimo de Republica, damnat philosophos, qui suis studijs dediti, Reipub. curam abijciant, nec nisi coacti ad eam administrandam accedere uolunt: itaque dicit eos iure cogi posse. quam Platonis sententiam hoc in loco probat Cicero. Et paulo pòst ais: Cicero non Platonem, sed philosophos damnat, atque ad probandam eorum iniustitiam, Platonis

Platonis testimonio utitur. Hæc sunt uerba tua, in quibus dico duos esse maximè insignes errores: primò, quia te ostendis nunquam Platonem legisse, atque ideo palàm mentiris, & illi attribuis, quod nusquā dixit: deinde, quia Ciceronis sententiam non intelligis. neque enim uerum est, in septimo de Repub. philosophos à Platone damnari: quin potius, cùm ubique propè diuinis eos laudibus exornat, tum in eo potissimum libro & iustos esse, & beatam agere uitam fatetur. Atqui ego cum tuam istam defensionem legissem, statim uehementer admiratus: quamuis aliàs diligenter cùm cætera Platonis opera, tum eos de Republica libros legissem: tamen septimum totum mihi relegendum censui, ut uiderem an uerum esset id, quod tu dixeras, de quo sanè non mediocriter dubitabam. Sed cum ad calcem libri peruenissem, intellexi id quod anteà iudicaram, te in scribendo nihil pensi habere: uerùm quicquid tibi libido dictat, id chartis illinere. neque curare utrum uerum, an falsum dicas. Nam tantum abest ut in eo libro philosophos Plato damnet, aut improbet, uti etiam uehementissimè laudet: & eos iustos ac beatos appellans, dicat solos in luce uersari, cum reliqui omnes in tènebris esse uideantur. Quare propter excellentiam ait, eos à populis & nationibus rogari, & quodammodo cogi debere, ut Reipub. curam suscipiant: quo ostendit illos simulatque rogati fuerint, libentissimè facturos, quamuis magis studijs suis delectētur, & ciuiles honores spernāt ac pro nihilo putent. unde facilè quiuis uidere mendacium tuum potest. Quòd autem Ciceronis sententiam nō intelligas, hinc maximè liquet, quod ais nequaquam à Cicerone Platonē reprehēdi, sed Platonis testimonio Ciceronem ad probādam philosophorū iniusticiā, uti-

 nam

nam si Plato nusquam Philosophos improbat, quomodo potest eius testimonio Cicero philosophos improbare? Sed lege iterũ, mi barbate, Decisiones meas, & uidebis me rectissime Ciceronis sentẽtiam percepisse, & eã cõtra Platonẽ & philosophos defendisse. Nam Cicero, qui putabat nihil esse præstantius quàm de Repub. bene mereri, semper in ea sententia fuisse uidetur, ut uitã ciuilem & actuosam longè philosophicę uitæ & ocio sæ præponendam esse censeret. Et quamuis in cæteris ferè omnibus cum Platone sentiret, tamen in hoc uno discrepabat: quoniã Plato ubiq; contẽplationem actioni, ipse uerò Cicero contrà actionem contemplationi anteponit. Itaq; Plato sapientem procul à negocijs publicis, in ueri inuestigatione uersantem, res' que mundanas contemnentem, iustum ac beatum appellat: Cicero uerò longè iustiorem ac beatiorem eum putat, qui in optima Republica & honoribus, & rerum gestarũ gloria floreat. hoc igitur loco Cicero, ubi de iniusticia uerba facit, suum illud propositum sequens, & Platonem ipsum leniter taxat, & Philosophorũ uitam improbat: Platonem, quia dixerat Philosophos ideo iustos esse, quòd in ueri inuestigatione uersentur, quodq; ea quæ pleriq; uehementer expetunt, de quibus inter se digladiari solent, cõtemnant, & pro nihilo putant. Hanc autẽ Platonis sententiam ideò reprehendit Cicero, quoniam non satis est ad hoc ut quis iustus dicatur, si nemini nocet, & humana contemnit: sed oportet ut etiam iniuriam propulset, & ne quos tueri debet deserat: quod cum Philosophi non faciant, discendi studio impediti, non rectè iusti à Platone dicuntur. Philosophos uerò damnat Cicero, quoniam ad Rempublicã administrandam non nisi coacti uolunt accedere, quemadmodum

ait Pla-

ait Plato. æquius enim, inquit, erat id uoluntate fieri. Duo sunt igitur, quæ reprehendit hoc loco Cicero, Platonis dictum, & Philosophorum factum. Dictum Platonis, qui iustos appellet Philosophos, cum non sint, quia quos tueri debent, deserant: factum Philosophorum, qui non sponte, sed coacti ad Reipub. gubernacula solent accedere. Quod cum ego ita esse uidissem, utrunque in Decisionibus meis contra Calcagninū defendi: nempe rectè & Platonem & philosophos à Cicerone reprehensos fuisse: multaque super hac Ciceronis sententia disputaui. quę quoniam tu nō intelligis, quorsum eant, quippe qui Ciceronis sententiam non perceperas, putas esse ἀπροσδιόνυσα. quòd si nunc iterum ea perlegeris, facilè calumniam tuam impudentissimam esse cognosces.

Recusatio quintæ defensionis

SEd in nulla parte Defensionum istarum tuarum prę clarius te gessisse uideris, quàm in quinta Disquisitione. nam in ea nihil de tuo prorsus expromere uoluisti, ne fortè solitos ego flosculos tuos, & ornamenta quibus expolire scripta tua consueuisti, notare possem. sed rationes eas, quibus ego Ciceronem à Calcagnino defendi, tanquam tuas recitasti. Deinde quia uidebas ab omnibus irrisum iri furtum tuum, nisi me nominasses, ea uerba adiunxisti: Quam solutionem Maioragius ipse quoque non ignorauit. Certè nonnihil tibi debeo Nizoli, quoniam tanquam latro quidā non penitus immanis, neque admodum efferatus, licet me primò spoliaueris, tamen deinde misericordia quadam commotus, iterum mea mihi spolia remittis, & te liberalem in rebus meis præbes. Vnum illud est odiosum, quòd te hæc sciuisse priusquam Decisiones meas legeres, fingere uideris:

in rebus taxare uoluisti: ut ipsemet agnosceres, quàm hoc imperitè fecisses. Cæteris quæ pro Cicerone protulisti, licet ea magna ex parte mihi surripueris: tamen quoniam in eis me non nominas, te gaudere, & tanquam inuentis tuis delectari sinam.

FINIS.